ACTA ET DECRETA

SEPTIMI CONCILII

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

IN

QUEBECENSI CIVITATE

ANNO DOMINI MDCCCLXXXVI

CELEBRATI

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA

QUEBECI
TYPIS AUG. COTÉ ET SOC.
1888

IMPRIMATUR.

Quebeci, die 8a decembris 1888.

E.-A. CARD. TASCHEREAU,

Archpus Quebecen.

ACTA ET DECRETA

SEPTIMI CONCILII

PROVINCIÆ QUEBECENSIS

ANNO MDCCCLXXXVI

CELEBRATI

PRÆSIDE ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

ELZEARO-ALEXANDRO TASCHEREAU

ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI

EDICTUM

CONVOCATIONIS CONCILII PROVINCIALIS VII QUEBECENSIS

ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU

DEI ET SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS,
ASSISTENS SOLIO PONTIFICALI

Reverendissimis Fratribus Nostris Episcopis, Vicariis, nec non Præfectis Apostolicis, nec non Capitulis, aliisque Provinciæ Quebecensis Ecclesiasticis viris, qui, de jure vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, salutem in Domino.

Cum Sacrosancta et Œcumenica Synodus Tridentina statuerit ut provincialia Concilia quolibet triennio pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, convocentur a Metropolitanis, hujusce provinciæ Quebecensis Patres, in ultima Sessione Concilii

Provincialis VI, anno 1878, non omiserunt statuere proximum concilium habendum fore anno 1881 ; sed propter diversas causas indultum est Nobis a Sancta Sede, die 21 Novembris 1880, ut celebraretur anno 1884, et deinde vi indulti 7 Julii 1883, ut ad annum 1886 differretur.

Nos officio nostro, quantum in Nobis est, satisfacere volentes, expetita prius Revmorum Fratrum Nostrorum Episcoporum sententia, re mature perpensa ac Sacro Nomine Domini invocato, ad majorem Dei omnipotentis gloriam et Provinciæ Nostræ utilitatem, provincialem Synodum, in Basilica Metropolitana Quebecensi celebrandam, indicere et convocare decrevimus, illamque in dicta ecclesia, dominica quinta post Pascha, quæ incidit in diem trigesimam Maii præsentis anni MDCCCLXXXVI, incipiendam ac postea usque in finem prosequendam, per præsentes litteras indicimus ac convocamus.

Quapropter Reverendissimos in Christo Fratres Trifluvianum, Sancti Germani de Rimouski, Marianopolitanum, Sherbrookensem, Ottawiensem, Sancti Hyacinthi, Chicoutimiensem, Cytherensem apostolicum vicarium Pontiacensem, et Nicoletanum, Episcopos Comprovinciales Nostros, nec non admodum Reverendum Præfectum apostolicum Sinus Sancti Laurentii, Capitula et alios quoscumque qui, de jure vel consuetudine, concilio provinciali interesse debent, hortamur, ac in quantum opus est, mandamus ac præcipimus, ut ad prædictam Synodum, assignatis die ac loco, conveniant, personaliter compareant, nisi forte justo detenti fuerint impedimento, quod probare tenentur per procuratores ab ipsis legitime electos, qui eorum vices agant in Synodo.

De hac autem convocatione singuli Revmi Episcopi supradicti monebunt suarum respective Ecclesiarum Cathedralium Capitula, aliosque qui huic Synodo interesse tenentur de jure vel de consuetudine.

Denique, Venerabiles Fratres, enixe vos obsecramus ut hanc Synodum in precibus et Missis Deo Optimo commendetis, Patri Omnipotenti qui operatur in Nobis velle et perficere; Filioque ejus Domino Nostro Jesu Christo, sine quo nihil possumus facere; et Spiritui Sancto, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, ut nobiscum sit et nobiscum laboret, ut mentes illuminet, corda succendant; utque nostra actio et operatio, bene incepta, bene et feliciter ad exitum perducatur ad majorem Dei gloriam et Provinciæ Nostræ utilitatem.

Datum Quebeci ex ædibus Nostris archiepiscopalibus, sub signo sigilloque Nostris, ac Secretarii Nostri chirographo, die Epiphaniæ Domini Nostri Jesu Christi, anno millesimo octingentesimo octogesimo sexto.

S. ✠ L. (Sign.) † E. A. Archpus Quebecen.

De mandato Illmi ac Rmi
D.D. Archiepiscopi Quebecensis,

(Subsign.) C. A. Marois, Pter,
Secretarius.

PARS PRIMA

—

ACTA

SEPTIMI CONCILII PROVINCIÆ QUEBECENSIS

PRIMA PRIVATA CONGREGATIO EPISCOPORUM

Virtute edicti ab Illustrissimo ac Reverendissimo Elzearo-Alexandro Taschereau, Archiepiscopo Quebecensi, in festo Epiphaniæ promulgati, convenerunt Revmi Episcopi Provinciæ cum præfato Metropolita, in domo archiepiscopali, sabbato, die nona et vigesima maii, anno octingentesimo octogesimo sexto supra millesimum, ordine sequenti :

Trifluvianus Episcopus, Ludovicus Franciscus Richer Laflèche ;

S. Germani *de Rimouski* Episcopus, Joannes Langevin ;

Sherbrookensis Episcopus, Antonius Racine ;

Ottawiensis Episcopus, Joseph Thomas Duhamel ;

S. Hyacinthi Episcopus, Ludovicus Zeph. Moreau ;

Chicoutimiensis Episcopus, Dominicus Racine ;

Cytherensis Episcopus, Vicarius Apostolicus Pontiacensis, Zepherinus Lorrain ;

Nicoletanus Episcopus, Elphegius Gravel.

Præsens erat quoque Præfectus Apostolicus Sinus S. Laurentii, Revmus D. Franciscus Xaverius Bossé, qui admissus fuerat cum voce consultativa, de licentia Sanctæ Sedis.

Jubet Illmus Archiepiscopus ut authenticum indictionis decretum actis Concilii inseratur.

Cum assensu Patrum, officiales quorum sequuntur nomina ad adjuvandum concilium eligit Illmus Metropolita.

1° *Promotores.*—Admodum Reverendos Carolum Olivarium Caron, Vicarium Generalem Trifluvianum et Præpositum Capituli Ecclesiæ Cathedralis Trifluvianæ, et Cyrillum Stephanum Legaré, Doctorem in sacra theologia, Vicarium Generalem Quebecensem.

2° *Secretarios.*—Admodum Revdum Edmundum Langevin, Vicarium Generalem et Præpositum Capituli S. Germani *de Rimouski*, et Revdum Cyrillum Alfredum Marois, in sacra theologia licentiatum et Cancellarium Archidiœcesis Quebecensis.

3° *Cantores.*—Reverendos Franciscum Xaverium Plamondon, parochum Sancti Joannis Baptistæ *de Québec*, et Josephum Clodoveum Laflamme, sacræ theologiæ doctorem, professorem in Universitate Lavallensi.

4° *Ceremoniarum Magistrum.* — Reverendum Carolum Octavium Gagnon, Magistrum Ceremoniarum Basilicæ Quebecensis.

Delegatorum a Capitulis Cathedralium exhibentur instrumenta. Admittunt Patres quoque tanquam Theologos et Canonistas :

I. Illmi ac Rmi DD. Archiepiscopi :

Admodum Reverendos Thomam Stephanum Hamel, Vicarium Generalem, Superiorem Seminarii Quebecensis, et Rectorem Universitatis Lavallensis, et Cyrillum Stephanum Legaré, in sacra theologia doctorem, Vicarium Generalem ; Rev. Patrem Joannem Tielen, C. SS. R. parochum Sanctæ Annæ *de Beaupré*, et Rev. Antonium Adulphum Gauvreau, parochum Nostræ Dominæ *de Lévis.*

II. Rmi DD. Trifluviani Episcopi :

Rev. Ludovicum Canonicum Richard, superiorem seminarii Trifluviani, et Rev. Patrem Josephum Grenier S. J.

III. Rmi DD. Episcopi S. Germani *de Rimouski* :

Admodum Reverendum Edmundum Carolum Hyppolitum Langevin, Vicarium Generalem et Præpositum Capituli S. Germani *de Rimouski*, et Rev. Paulum Napoleonem Thivierge, archipresbyterum et parochum S. Bonaventuræ.

IV. Rmi DD. Episcopi Marianopolitani :

Rev. Fredericum Aloysium Colin, superiorem seminarii Marianopolitani, doctorem in sacra theologia, et Rev. Telesphorum Harel, Cancellarium diœcesis Marianopolitanæ, Capellanum Capituli, et doctorem in jure canonico.

V. Rmi DD. Episcopi Sherbrookensis :

Rev. Michaelem Eduardum Méthot, et Michaelem Thomam Labrecque, professores in Universitate Lavallensi et doctores in sacra theologia.

VI. Rmi DD. Episcopi Ottawiensis :

Rev. Josephum Franciscum Michel, parochum S. Gregorii Nazianzeni, vulgo Buckingham, et Rev. Patrem Josephum Julium Filliâtre, Oblatum Mariæ Immaculatæ, doctorem in

sacra theologia, professorem philosophiæ in Universitate Ottawiensi.

VII. Rmi DD. Episcopi S. Hyacinthi :

Rev. Antonium Canonicum O'Donnell, parochum S. Dionysii *de Richelieu*, et Paulum Stanislaum Canonicum Larocque, doctorem in theologia et jure canonico et parochum cathedralis.

VIII. Rmi DD. Episcopi Chicoutimiensis ;

Admodum Rev. Narcissum Doucet, Vicarium Generalem et parochum S. Stephani vulgo *de la Malbaie*, et Rev. Olivarium Elzearum Mathieu, doctorem in philosophia et in sacra theologia et philosophiæ professorem in seminario Quebecensi.

IX. Rmi DD. Vicarii Apostolici Pontiacensis :

Rev. Antoninum Nantel, superiorem seminarii Sanctæ Theresiæ in diœcesi Marianopolitana et Joannem Jos. Collins parochum Montis S. Patricii in dicto vicariatu.

X. Rmi DD Episcopi Nicoletani :

Admodum Rev. Isaacum Gelinas, Vicarium Generalem, et superiorem seminarii Nicoletani, et Rev. Thomam Mariam Olivarium Maurault, philosophiæ professorem in eodem seminario.

Deinde ordinantur sequentes Congregationes.

Prima de Decretis

Præside Rmo DD. Episcopo Sherbrookensi :

Rmus Remigius Ouellette, Rev. Michael Eduardus Méthot, JosephusMichel, Thomas M. O. Maurault, Josephus Clodoveus Laflamme et Telesphorus Harel.

Secunda de Doctrina

Præside Rmo DD. Episcopo Trifluviano : Rev. Fredericus Aloysius Colin, Antoninus Nantel, Antonius O'Donnell, Antonius Adulphus Gauvreau et Pater Josephus Grenier S. J.

Tertia de Liturgia

Præside Rmo DD. Episcopo Marianopolitano :

Admodum Rev. Cyrillus Stephanus Legaré et Narcissus Doucet, Rev. Ludovicus Richard, Joannes Joseph Collins, Paulus Napoleo Thivierge et Carolus Octavius Gagnon.

Quarta de Disciplina

Præside Rmo DD. Episcopo Ottawiensi :

Admodum Rev. Paulus Leblanc et Edmundus Carolus Hippolytus Langevin, Rev. F. X. Plamondon, Rev. Pater Joannes Tielen, C. SS. R. et Rev. Cyrillus Alfredus Marois et Michael Thomas Labrecque.

Quinta de Studiis

Præside Rmo DD. Episcopo S. G. *de Rimouski* :

Admodum Rev. Joannes Baptista Blanchet, Carolus Olivarius Caron, Thomas Stephanus Hamel, Isaacus Gelinas, Rev. Paulus Stanislaus Larocque, Josephus Julius Filliâtre et Olivarius Elzearus Mathieu.

Disseritur inter Patres de præcedentia suffraganeum inter et Vicarium Apostolicum prius consecratum, sæculares et regulares eadem die promotos, et de consensu sedebunt

prælati juxta ordinem consecrationis, et presbyteri secundum tempus ordinationis et si etiam in ordinationis die conveniant, sæculares præcedent regulares.

Jubent Patres decreta, cum ad Promotores remissa fuerint, tradenda esse ad Congregationem *De Decretis*.

Cum quæstio proponetur a Præside, junior primus sensum aperiet.

Statuerunt Patres schemata examinanda esse a Congregationibus ut sequitur :

In I. Congregatione :

De theatris ;

De piis peregrinationibus ;

De blasphemia vitanda ;

De societatibus ad temperantiam promovendam.

In II. Congregatione :

De iis qui in electionibus suffragium vendunt ;

De sepultura ecclesiastica ;

De lectione librorum et ephemeridum ;

De medicorum obligationibus ;

De romanensium pestilentia ;

De pravis lectionibus.

In III. Congregatione :

De dominicarum sanctificatione ;

De confessione puerorum ;

De conventibus ante portas ecclesiarum ;

De musica sacra ;

De benedictione nuptiali ;

De quarta funerali ;

De annuo subsidio ;

De vino eucharistico ;

De Sacratissimi Rosarii devotione.

In IV. Congregatione :

De jurisdictione ad prædicandum et ad absolvendum ;

De bonis ecclesiasticis ;

De regestis parochialibus ;

De matrimoniis mixtis ;

De testamento ab ecclesiasticis condendo ;

De societate massonica ;

De antimassonicis associationibus ;

De Fratribus Christianæ puerorum institutioni incumbentibus.

In V. Congregatione :

De scriptoribus catholicis ;

De studiis theologicis ;

De devotione erga S. Thomam Aquinatem ;

De feriis quibusdam in collegiis, etc. ;

De clericis educandis, etc. ;

De vocatione ecclesiastica ;

De perfectione Cleri ;

De catholicis scholis, etc. ;

De verborum pugnationibus ;

De catechismo.

Sibi reservant Patres facultatem, ad majorem quæstionum expeditionem, cuilibet Congregationi schemata seu materiam non regulariter illi pertinentia, proponendi.

Dictis Congregationibus injungitur ut relationem scriptam faciant : 1. de titulo ; 2. de opportunitate ; 3. de textu uniuscujusque schematis quod ipsis examinandum proponitur ; 4. de iis quæ de materi subjecta jam in præcedentibus hujusce provinciæ Conciliis statuta sunt.

Hæc autem relatio a Secretario Congregationis subsignata, statim ac completa fuerit, remittatur uni ex promotoribus.

Admittitur epistola ad Sanctissimum Patrem dirigenda cum actis et decretis.

Communis pastoralis ad clerum et populum de societatibus secretis disserens admittitur cum aliquibus emendationibus. Curabunt Episcopi ut pastoralis hæc epistola late inter fideles divulgetur et servetur.

Quisque Episcopus cœtui communicat quæ sibi nota sunt et evenerunt in sua diœcesi de secretis societatibus.

Plures declarant suos fideles optime dispositos esse ad accipiendum directionem antistitum sine ulla murmuratione.

Conveniunt Episcopi primam sessionem habendam esse cras hora 9 A. M.

Quibus absolutis recedunt Patres.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

PRIMA CONGREGATIO GENERALIS

Sabbato ante Dominicam V post Pascha, hora tertia, in aula majori domus Archiepiscopalis, conveniunt Illmus Metropolita cum Rmis Suffraganeis, deputatis et theologis, ad Congregationem Generalem habendam.

Omnibus genuflexis ad Crucem, recitantur hymnus *Veni Creator* et oratio *Adsumus.*

1. Tunc jubente Illmo Archiepiscopo, Secretarii exhibent instrumenta quibus Rma Cathedralium ecclesiarum Marianopolitanæ, S. Germani *de Rimouski*, Sancti Hyacinthi et Trifluvianæ Capitula, Rmos Paulum Leblanc, Canonicum Pœnitentiarium, Joannem Baptistam Blanchet, Canonicum, Joannem Remigium Ouellette, Can. theologalem, et Carolum Olivarium Caron, Præpositum, deputant ad interveniendum concilio.

2. Leguntur Officialium nomina in prævia Congregatione a Patribus designatorum,—elenchus theologorum ac canonistarum ab unoquoque Episcopo selectorum,—ordo præcedentiæ in proxima Synodo ut in quinta servandæ, —catalogus deputationum, a Patribus ordinatarum,—tituli decretorum quæ in prima sessione proclamabuntur, i. e. *de aperienda Synodo, de modo vivendi in Concilio, de præjudicio non afferendo, de non discedendo, de Synodi officialibus, de vocatione nominum, de professione fidei et de residentia.*

3. Unus ex secretariis proclamat instructionem Deputationibus datam ut scripto relationem faciant super schematibus ad illas relatis : 1. de titulo, 2. de opportunitate, 3. de textu ipso, 4. de iis quæ de eadem quæstione jam in provincialibus Conciliis tractata sunt ; et ut Notarius

cujusque deputationis relationem subsignet, statim ac completur et promotoribus remittat.

4. Legitur promissio de secreto custodiendo, ne quid detrahens vel reverentiæ Concilio debitæ, vel honori personarum reveletur. In signum assensionis, omnes surgunt et concluditur Congregatio per orationem *Sub tuum*.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

SESSIO PRIMA

Dominica V. post Pascha incidente in diem trigesimam maii, ad primam sessionem celebrandam convenerunt Patres in sacello interiori domus Archiepiscopalis. Aderant Illmus ac Rmus Archiepiscopus, et Rmi Episcopi Trifluvianus, S. Germani *de Rimouski*, Marianopolitanus, Sherbrookensis, Ottawiensis, Sti Hyacinthi, Chicoutimiensis, Cytherensis Vicarius Apostolicus Pontiacensis et Nicoletanus. Aderat quoque Rmus Apostolicus Præfectus Sinus Sancti Laurentii.

Omnibus genuflexis, intonatur ab Illmo Metropolita hymnus *Veni Creator*, et ad Basilicam processionaliter pergunt Synodales, totus clerus et populus.

Celebratur ab Archiepiscopo Missa de Spiritu Sancto, et sermonem de *auctoritate Ecclesiæ* habet Episcopus Sherbrookensis. Deinde ante Præsidem Concilii se sistunt

promotores postulantes ut aperiatur Concilium, et jubetur ut promulgentur decreta *De aperienda Synodo, De modo vivendi in Concilio, De præjudicio non afferendo, De non discedendo, De Synodi officialibus, De vocatione nominum, De professione fidei.*

Post hoc decretum surgunt omnes et alta voce legitur formula fidei professionis. Patres manibus ad evangelium admotis consuetum juramentum pronuntiant.

Instant dein promotores ut indicetur tempus proximæ sessionis, quæ fiet dominica infra octavam Ascensionis Domini, ita tamen ut ad alium diem transferri vel prorogari possit, si pro rebus Concilii bene ferendis conducere videbitur.

Rogantibus Promotoribus Secretarii declarant se de peractis in sessione confecturos instrumentum.

Tunc solemni benedictione concessa ab Illmo Præside, Synodales per brevem viam redeunt ad palatium.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA EPISCOPORUM

Feria II hora nona A. M. conveniunt Patres.

Episcopus Ottawiensis, cui commissa fuerat redactio declarationis quam deinceps subscribant secretarum societatum asseclæ quum ex illis egrediuntur, refert schedulam,

qua affirmabunt se nullo modo nec amplius ab aliquo jurejurando cum illis sectis ligari, et sincere velle Ecclesiæ esse obsequentes in omnibus.

Congregationi de doctrina refertur prima pars schematis *De pravis lectionibus*; ad Congregationem *De liturgia*, schema *De Sacratissimi Rosarii devotione*; ad Congregationem *disciplinæ* schema *De celebratione Synodi diœcesanæ*; et ad Congregationem *studiorum* schema *De puerorum educatione* et secunda pars schematis *De pravis lectionibus*.

Differtur consideratio quorumdam aliorum schematum ab Episcopo Trifluviano propositorum.

Interea veniunt ad quæstionem modificationis statutorum civilium a gubernio præscriptæ, et Patres exprimunt desiderium ut examinentur quamprimum clausulæ hujus legis, ne quid in ea læderet jura ecclesiastica. Optant similiter Patres Archiepiscopum delegaturum quosdam peritos ad statuta elaboranda a civilibus legislatoribus scrutandum assidue. Hoc in fine curetur ut copiæ prædictorum documentorum ad omnes provinciæ ordinarios regulariter mittantur.

Archiepiscopus proponit ut tempus futuri Concilii provincialis ad annum 1889 fixum censeatur et decretum hujus tenoris in ultima sessione præsentis proclametur; et secretarii jubentur schema præparare.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS

Habita feria II hora secunda post meridiem.

Loco solito intersunt Patres cum deputatis, theologis, canonistis et officialibus.

Primæ Congregationis Generalis legitur et admittitur relatio.

Tunc ex Congregationibus privatis relationes adductas submittunt promotores ordine sequenti :

1. Ex Congregatione Doctrinæ, Schemata :

De iis qui in electionibus suffragium suum vendunt ;

De sepultura Ecclesiastica deneganda, vel non, propter omissionem communionis paschalis ;

De præscriptione.

2. Ex Congregatione Decretorum, Schemata :

De theatris ;

De blasphemia vitanda ;

De piis peregrinationibus.

3. Ex Congregatione Liturgiæ, Schemata :

De conventibus publicis ante portas Ecclesiarum ;

De vino Eucharistico ;

De confessione et absolutione puerorum.

4. Ex Congregatione Disciplinæ, Schemata :

De jurisdictione ;

De testamento ab Ecclesiasticis viris condendo ;

De regestis parochialibus.

5. Ex Congregatione de studiis, Schemata :

De catholicis scriptoribus.

Proxima Congregatio Generalis ex nutu Archiepiscopi celebrabitur cras hora secunda post meridiem.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA EPISCOPORUM

Habita feria III, hora 9 A. M.

Admittitur additio in pastorali epistola inserta, et tota jubetur prelo tradi etiam lingua anglica.

Legitur schema *De jurisdictione*, ex quo Patres jubent partem non respicientem totam provinciam auferri.

Quædam mutationes effectæ sunt in schemate *De iis qui in electionibus suffragium suum vendunt.*

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA EPISCOPORUM

Habita feria III, hora 2½ P. M.

Leguntur et discutiuntur relationes in Congregatione generali examinatæ, id est :

1. Ex Congregatione de decretis, Schemata :

De theatris et *De blasphemia vitanda.*

2. Ex Congregatione de Doctrina, Schema :

De præscriptione ; quæ approbantur.

3. Ex Congregatione Decretorum, Schema :

De piis peregrinationibus, in quo additur clausula de confessione peregrinantium.

4. Ex Congregatione disciplinæ :

De Conventibus politicis ante portas Ecclesiarum. Mutatur titulus, ita ut legatur *prope Ecclesias* loco *ante portas Ecclesiarum*.

5. Ex Congregatione Liturgiæ :

De vino Eucharistico ; schema istud patres non admittunt.

De confessione et absolutione puerorum, quod cum emendatione decretum approbatur.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA EPISCOPORUM

Habita feria IV, hora 9 A. M.

Legitur et discutitur nova schedula ab Episcopo Ottawiensi præparata, quæ ab asseclis derelinquentibus societates secretas subscribenda erit. Jubetur ut vertatur quoque in linguam anglicam et prelo mandetur.

Discutiuntur et admittuntur sequentia schemata :

1. Ex Congregatione Doctrinæ :

De annuo subsidio, *De quarta funerali*, et *De annuo subsidio* erga Episcopum vel parochum, quæ tria ad Congregationem doctrinæ referuntur.

2. Ex Congregatione Studiorum :

De scriptoribus catholicis, quod schema emendatur, et Congregationi de decretis refertur ut addatur citatio quædam ex Encyclica *Immortale Dei* ;

De testamento ab Ecclesiasticis viris condendo, et *De regestis parochialibus*, quæ admittuntur.

Congregatio generalis habebitur cras hora 2 post meridiem.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

TERTIA CONGREGATIO GENERALIS

Habita feria IV, hora secunda P. M. Adsunt omnes.

Leguntur et discutiuntur Schemata a promotoribus præsentata, scilicet :

1. Ex Congregatione Decretorum :

De Societatibus ad temperantiam promovendam.

2. Ex Congregatione Doctrinæ,

De medicorum obligationibus quoad animas ægrotantium ; *De pravis lectionibus* ; *De lectione librorum et epheme-*

ridum, et *De romanensium pestilentia* ; quæ tria in unum Decretum redacta sunt.

3. Ex Congregatione Liturgiæ :

De cantu et musica in Ecclesiis, et additamentum ; ac *De Benedictione nuptiali.*

4. Ex Congregatione Disciplinæ :

De bonis ecclesiasticis et *De matrimoniis mixtis.*

5. Ex Congregatione Studiorum :

De Catechismo.

Oratione recitata, discedunt omnes.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA EPISCOPORUM

Habita feria V, hora secunda P. M.

Approbatur versio anglica declarationis asseclarum ex secretis societatibus egredientibus.

Leguntur et discutiuntur a Patribus sequentes relationes :

1. Ex Congregatione Studiorum :

De catholicis scholis et de parvulis in eis catechisandis ;

De Catechismo ; et *De Verborum pugnationibus.*

2. Ex Congregatione Disciplinæ :

De bonis Ecclesiasticis ; quod schema derelinquitur pro nunc, ut examinetur in provincilai Concilio proximo,

si ita videbitur opportunum ; *De matrimoniis mixtis*, quod non promulgabitur ut decretum.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA EPISCOPORUM

Habita feria VI, hora 9 A. M.

Leguntur Schemata in Congregatione generali a promotoribus præsentata, una cum relationibus, scilicet :

1. Ex Congregatione Decretorum :

De societatibus ad temperantiam promovendam ; *De Synodo diœcesano*, quod ultimum non admittitur.

2. Ex Congregatione doctrinæ :

De medicorum obligationibus quoad animas ægrotantium, cui additur animadversio circa narcoticas substantias ; *De lectionibus librorum et ephemeridum*. Posterior pars ultimi schematis abratur ita ut renoventur solummodo doctrina et ordinationes VIII Decreti Concilii Quarti Quebecensis.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

QUARTA CONGREGATIO GENERALIS

Habita feria VI, hora 2 . M.

Omnes adsunt.

Leguntur et fuse discutiuntur schemata a promotoribus allata, scilicet :

I. Ex Congregatione doctrinæ :

De quarta funerali ;

De annuo subsidio et *De annuo subsidio erga Episcopum et parochum,* quorum nova redactio a deputatione proposita a relatore legitur.

II. Ex Congregatione Liturgiæ :

De Sacratissimi Rosarii devotione, quod schema a deputatione ampliatum est ; *De dominicarum et festorum sanctificatione,* et aliud tractans sub eodem titulo de excursionibus ob oblectationem.

III. Ex Congregatione Disciplinæ :

De societate massonica aliisque societatibus prohibitis ;

De Anti-massonicis associationibus ;

Duoque a deputatione in unum reducta sunt.

De Fratribus Christianæ puerorum instructioni incumbentibus.

IV. Ex Congregatione studiorum :

De vocatione ecclesiastica et de quibusdam prærequisitis ad ordines suscipiendos ;

De studiis theologicis, et *De devotione erga S. Thomam Aquinatem.*

Illustrissimus præses dein refert speciali deputationi schema :

De feriis quibusdam hiemalibus in Seminariis.

Proxima Congregatio generalis conveniet cras hora 11. A. M.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

QUINTA CONGREGATIO GENERALIS

Habita Sabbato hora 11 A. M.

Legunt relatores schemata a promotoribus præsentata et a deputationibus discussa, id est :

Ex Congregatione Studiorum :

De statu clericali ;

De Clericis ad beneficia promovendis ;

De perfectione Cleri.

Ex Congregatione speciali,

Schema — *De feriis quibusdam hiemalibus in Seminariis.*

Illustrissimus Præses gratias agit theologicis, et aliis adjutoribus Concilii propter illorum assiduos labores et concordiam constantem et amœnitatem qua inter se usi sunt.

Tunc assueta oratio dicitur et exeunt omnes.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,

Secretarius.

OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA EPISCOPORUM

Habita Sabbato, hora 2 P. M.

Examinantur et discussioni subjiciuntur sequentia schemata :

De dominicarum et festorum sanctificatione ; De modis prohibitis pecunias ad pias causas colligendi.

Effectis quibusdam emendationibus, utrumque approbatur.

Derelinquuntur duo schemata *De quarta funerali* et *De annuo subsidio.*

Conveniunt Patres ad Sanctissimum Patrem supplicem libellum dirigendi *de annuo subsidio pro episcopis.*

Approbantur schemata *De Sacratissimi Rosarii devotione* et *De societate ad temperantiam promovendam.*

Admittuntur etiam cum emendationibus schemata *De societate massonica*, et *De libris ephemeridibusque improbis.*

Non admittitur schema *De Fratribus christianæ institutioni incumbentibus.*

Corriguntur et approbantur schemata *De statu clericali.*

De vocatione Ecclesiastica et *De nonnullis prærequisitis ad ordines suscipiendos*, ac *De Devotione erga S. Thomam Aquinatem*, quæ tria in unum redacta sunt.

Derelinquitur schema *De feriis quibusdam hiemalibus in Seminariis.*

Et Patres oratione dicta exeunt.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secretarius.

SESSIO SOLEMNIS SECUNDA ET ULTIMA

Die Dominica, infra octavam Ascensionis Domini habita.

Hora nona, ordine ac decore fixis, Illustrissimi Archiepiscopus et Episcopi ad Ecclesiam Metropolitanam per viam publicam, hymno decantato, processerunt.

Missam de Spiritu Sancto, addita commemoratione *pro gratiarum actione* celebravit Revmus Episcopus Sancti Germani *de Rimouski* ad faldistorium, Metropolita et aliis Patribus, cappis indutis.

Post evangelium, concionem ad populum habuit de auctoritate Ecclesiæ Revmus Episcopus Nicoletanus, qui et gratulatus est Illmum Archiepiscopum super ejus ad Cardinalatum elevationem.

Peracta synaxi, inchoata est juxta Pontificale Romanum ultima Concilii sessio, et institerunt promotores ut reliqua decreta promulgarentur.

Jubente igitur præside, unus ex Secretariis clara voce prælegit titulos, ut sequuntur :

VIII. De residentia.

IX. De statu clericali.

X. De testamento ab ecclesiasticis viris condendo.

XI. De jurisdictione ad prædicandum et absolvendum.

XII De regestis parochialibus.

XIII. De Conventibus publicis prope ecclesias non habendis.

XIV. De modis prohibitis pecunias ad pias causas colligendi.

XV. De piis peregrinationibus.

XVI. De scholis puerorum.

XVII. De societatibus ad temperantiam promovendam.

XVIII. De blasphemia vitanda.

XIX. De sepultura ecclesiastica deneganda vel non, propter omissionem Communionis pascalis.

XX. De quibusdam occasionibus peccati et periculosis oblectamentis vitandis.

XXI. De medicorum obligationibus quoad animas ægrotantium.

XXII. De scriptoribus catholicis.

XXIII. De libris ephemeridibusque improbis.

XXIV. De iis qui in electionibus suffragium suum vendunt.

XXV. De præscriptione.

XXVI. De societate massonica.

XXVII. De Sacratissimi Rosarii devotione.

Patrum deinde rogata sententia, decreta omnibus placuerunt et confirmata fuerunt.

Mox Patres omnes, promotionis ordine decretis super altari positis sua quisque manu subscripserunt.

Rite quibus absolutis, pro fine Concilii instantiam præbuerunt Promotores. Hoc cum omnibus placeret, Revmus Præses finem Concilio factum esse declaravit et proximam Synodum ad annum octingentesimum octogesimum nonum supra millesimum celebrandam esse.

Tunc omnibus sedentibus, factæ sunt acclamationes, præcinentibus cantoribus, choro cum Synodalibus respondente.

Communicato deinde invicem inter Patres pacis osculo, Illustrissimus Metropolita solemnem benedictionem impertitus est, et cantato per diaconum *Procedamus cum pace*, omnes solemni ordine incedentes ad ædes archiepiscopales reversi sunt.

Silentio autem prætereundum non videtur, quod, inter cæteros insignes viros qui templum adierant, solemnia sessionis gesta spectaturi, adfuerit etiam clarissimus Provinciæ Quebecensis Gubernator.

De mandato,

EDMUNDUS LANGEVIN, P.,
Secretarius.

PARS SECUNDA

—

DECRETA

SEPTIMI CONCILII PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ QUEBECENSIS

DECRETUM I

De aperienda Synodo

In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti

Nos Elzearus Alexander Taschereau, Dei et Apostolicæ Sedis Gratia, Ecclesiæ Metropolitanæ Quebecensis Archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis et Salvatoris Nostri Jesu Christi, unigeniti Filii Dei, Patri consubstantialis, qui, pro nobis caro factus, unus est Dei et hominum mediator et auctor salutis nostræ ; sub tutela et præsidio Beatissimæ Immaculatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum quorum patrocinio Nostræ Ecclesiæ Cathedrales et diœceses muniuntur, atque omnium Sanctorum, statuimus ac decernimus, de consensu ac consilio Illmorum et Rmorum Episcoporum Nostrorum Comprovincialium, hac ipsa die trigesima maii inchoari atque adeo inchoatum esse Concilium Provinciale, quod Nostra Metropolitana auctoritate indiximus et convocavimus ; Jesum Christum Dominum

et Salvatorem Nostrum humiliter deprecantes ut quod cœpit ipse perficiat ac quæcumque ad nostram clerique et populi ædificationem stabilienda cognovimus, ab omnibus et singulis, Deo adjuvante, observentur.

DECRETUM II

De modo vivendi in Concilio

Hæc Synodus provincialis, a Beato Apostolo edocta quod " omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, " qui eis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter, statuit omnes Christifideles hujusce civitatis Quebecensis quorum sicut et totius Provinciæ gratia celebratur, exhortandos esse, prout hortatur, ut se a peccatis hactenus commissis emendare ac de cætero in timore Domini ambulare, suis operibus instare, ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ frequentius accedere, et quotidie pro Episcopo et Sacerdotibus hic legitime congregatis, instanter orare velint ; eosdem vero Episcopos et Sacerdotes ut assidue incumbant in laudibus Dei, atque singulis diebus, in quantum fieri poterit, Sanctissimum Missæ sacrificium peragant, aut saltem mysteriorum celebrationi devote intersint, facientes obsecrationes, orationes et postulationes pro Ecclesia Sancta Dei, pro SSmo Domino Nostro Leone Papa XIII, pro Regina nostra, pro gubernatoribus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, pace fruamur, et fidei augmentum videamus. Præterea hortatur illos ut jejunent

singulis sextis feriis, in memoriam passionis Domini, omnibusque diebus mensa frugali utantur.

Et quoniam oportet Episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam illos et obsecratur in Domino, ut otiosas sermocinationes sedulo devitent, vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate, omniumque virtutum ornamento præfulgeant, ita ut in omnibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros Dei mysteriorum.

Cum autem Synodi provincialis scopus sit, ut sacra Conciliorum Summorumque Pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur, adjectis quibusdam, si opus est, explicationibus ; ita tamen ut non recedatur unquam a mente Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, cæterarum Ecclesiarum matris ac magistræ.

In sententiis vero dicendis nullus audeat aut immodicis verbis perstrepere, aut tumultibus perturbare ; variisve et obstinatis disceptationibus contendere ; sed omnes ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et animi lenitate, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune servato ordine, proferant opiniones, in actionibus tam privatis quam publicis ; ac ita quidquid dixerint, miti verborum prolatione temperent, ut nec audientes offendantur, nec recta judicii acies perturbato animo inflectatur. Omnes insuper hortatur, ut diurnum vivendi ordinem, in prima Congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exsequantur.

DECRETUM III

De Præjudicio non afferendo

Ipsa Synodus decernit ac declarat quod si forte contigerit dignos debito in loco non sedere, sive in sessionibus, sive in congregationibus, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur (Conc. Trid. XVI, 2).

In qualicumque enim ordine quisquis compareat et sedeat, jura illius salva esse vult Synodus.

DECRETUM IV

De non discedendo

Universis qui jure vocati ad hoc Concilium Provinciale convenerunt, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit ipsa Synodus, ne antequam dimissum fuerit, discedere præsumant nisi ob rationabilem causam, facultateque petita et obtenta a Patribus.

DECRETUM V

De Synodi Officialibus

Quoniam ad actiones Synodi servato ecclesiasticarum præscriptionum tenore, et traditionis ecclesiasticæ more, rite, ordinatim et expedite peragendas opus sit, ut quidam hujus Synodi ministri designentur, qui Nobis et hujus Concilii Provincialis Patribus variis in fungendis officiis præsto sint, ideo de Patrum consensu sequentes Synodi Officiales constituimus.

Promotorem R. D. Carolum Olivarium Caron V. G.
Vice-Promotorem R. D. Cyrillum Stephanum Legaré V. G.
Secretarium R. D. Edmundum Langevin V. G.
Sub-Secret. R. D. Cyr. Alfredum Marois.

DECRETUM VI

De vocatione nominum

Cum hodie, auspicante Deo, feliciter aperta sit hæc Synodus provincialis Quebecensis, ut sacrorum Canonum præscripto fiat satis, decernimus ac mandamus, assentientibus Concilii Patribus ut omnes tam Rmi Episcopi quam Presbyteri qui ad hanc Synodum sunt vocati, quique eidem jure vel consuetudine interesse debent nominatim vocentur, absentes vero notentur.

Placeat igitur Rmis Patribus ceterisque Synodalibus, vocato eorum nomine, respondere : *adsum.*

DECRETUM VII

De professione fidei

Cum fides, sine qua impossibile est placere Deo, sit initium et fundamentum salutis, proinde primum et præcipuum munus pastoralis sollicitudinis esse debet ut integra et illibata servetur illa catholica fides quam tenet et colit Sancta Romana Ecclesia. Quam ut omnes in hac nostra provincia amplectentur et firmiter teneant, hæc Synodus, Patrum exemplis adhærens, ante omnia statuit ac decernit, præmittendam esse ejusdem sanctæ et catholicæ fidei pro-

fessionem juxta formulam a sacræ memoriæ Pio IV, Pontifice maximo, præscriptam, additis iis quæ de mandato sacræ memoriæ Pii IX in decreto specialis Congregationis 20 januarii 1877, continentur. Cum autem S. C. de Propaganda Fide, die 8 aprilis 1876, responderit : "jamdiu "invaluisse laudabilem consuetudinem, qua episcopi in "synodis provincialibus, etiamsi aliis jam interfuerint, fidei "professionem emittant, et hortandos præsules ecclesiasticæ "provinciæ Quebecensis, ut eamdem consuetudinem in "posterum servare studeant," hæc Synodus hanc professionem ab omnibus et singulis Patribus palam ac publice emittendam jubet et mandat.

PROFESSIO ORTHODOXA FIDEI JUXTA FORMAM A SUMMIS PONTIFICIBUS PIO IV ET PIO IX PRÆSCRIPTAM

Ego N...... firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus

regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem ; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre ; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divi-

nitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a Sacris Canonibus et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram

et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

DECRETUM VIII

De residentia

Ne ulla temporum injuria aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur salutares regulæ quas statuit Sacrosanctum Tridentinum Concilium (Sess. VI, cap. 1 et 2 de reform., et sess. XXIII, cap. 1 de ref.), circa personalem residentiam pastorum animarum, hæc Synodus omnes hujusce provinciæ Episcopos hortatur et quoscumque alios clericos in ea animarum curam habentes, ut dicta Tridentina decreta, nec non eam partem decreti XV Concilii provincialis Secundi (§ 4 et 5) quæ ad eamdem materiam spectat, identidem perlegant et fideliter observent.

DECRETUM IX

De statu Clericali

I. De vocatione ecclesiastica et de nonnullis ad Ordines suscipiendos.

1° Parentes iique omnes qui eorum vices gerunt prudenter abstineant ab impellendo ad tantam officii dignitatem quos adolescentes sentiunt repugnantiam pro eo experiri vel nullum divinæ vocationis signum exhibere.

2° Sed quanto alacriores esse debent ad arcendos hujusmodi juvenes a statu clericali, tanto ardentius adlaborent, et, pro viribus, adjuvent Episcopos ad favendum ecclesiasticæ educationi clericorum. Parentes filiis suis invigilent omni tempore et præsertim tempore feriarum. Sic enim quàm potentissime regni Christi extensionem promovebunt, sibique merita innumera acquirent.

3° Minoribus seminariis præpositi omnem impendant industriam quo adolescentes ipsis commissi, a teneris annis, aliquid identidem audiant de gravi necessitate statum vitæ seligendi et speciatim de vocatione ad statum clericalem.

4° Tenetur adolescens, qui inter Dei ministros cooptari desiderat, vel a primis curriculi annis, sese exercere ad pietatem, memor horum verborum, Thren. III, 27 : "*Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua,*" totusque esse ad scientiam acquirendam. Ad quod certius promovendum, apud omnia Collegia et Seminaria minora hujus Provinciæ, liber servetur in quo, ut communiter fit, singula alumnorum inscribantur nomina cum eorum notis de moribus, de diligentia nec non de successu in quaque curriculi materia.

5° Quicumque ad honorem deferendæ clericalis vestis admitti desiderat, teneatur hanc permissionem *scripto* postulare ab Ordinario et simul sequentia testimonia et documenta exhibere :

(*a*) Testimonium de Baptismo et Confirmatione susceptis ;

(*b*) De bona vita ;

(*c*) De consueti patrimonii sibi opportuno tempore constituendi possibilitate vel impossibilitate ;

(*d*) Promissum propria manu scriptum et subscriptum quod diœcesi refundet omnia expensa quæ episcopus pro eo tulerit usque ad ejus presbyteratum ; a qua tamen obligatione immunes erunt, qui sive ante, sive post susceptum presbyteratum Deo vocante, religiosum statum amplexi fuerint in eoque professionem religiosam emiserint ;

(*e*) Testimonia a singulis Episcopis in quorum diœcesibus versatus fuit ;

(*f*) Testimoniales litteras a Concilio Collegii in quo studia sua perfecit quibus de divinæ vocationis signis apud eum deprehensis moderatores testentur.

6° Antequam admittatur ad tonsuram et ad subdiaconatum promoveatur, unusquisque teneatur hunc favorem ab ipso Episcopo *scripto* postulare ut plane pateat ipsius recta voluntas ad tantum onus ultro appetendum. Quæ postulatio non requiritur ad alios ordines suscipiendos.

7° Qui *sub titulo missionis* ordinandi sunt, jurejurando se obligent, juxta præscripta Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, ad impendenda suum ministerium, laborem et curam in rebus divinis ministrandis apud quam diœcesim ordines suscepturi sint et sese devovendos pro animarum salute sub directione et jurisdictione Ordinarii *pro tempore existentis*.

8° Bis in anno Directores Seminarii vel Collegii inter se conferant de vocatione clericorum, de eorum capacitate, necnon et de eorum progressu in pietate, in observantia regularum et studiis, et relationem ad Episcopum dirigendam parabunt, in qua notentur cujusque, indoles, mores, pietas, diligentia in addiscendo, in observandis regulis, in

officiis, si quod habent, ex. gr. magistri, institutoris, adimplendis, propensio circa ea quæ spiritum ecclesiasticum ostendunt, et amplius Consilii opinio de iis qui ad ordines promovendi sunt.

II. De studiis Philosophicis et Theologicis.

Quum Philosophia, omnium scientiarum naturalium facile princeps et magistra, necessarium sit ipsius theologiæ preambulum, maximum esset Ecclesiæ damnum si sacræ militiæ tirones ad studia ecclesiastica nimis imparati accederent. " Perpetuus enim et multiplex philosophiæ usus requiritur, ut sacra theologia naturam, habitum, ingenium, veræ scientiæ suscipiat atque induat " (Ency. SS. PP. Leonis XIII, *Æterni Patris*).

Opportunum igitur ducimus in memoriam omnium revocare formulam a Patribus VI hujus Provinciæ Concilii constitutam : " Completo litterarum curriculo, per duos annos, quicumque inter clericos adnumerari desiderat, philosophicis studiis incumbet."

Ad Theologiæ studium quod attinet, decernimus neminem hac in Provincia ad sacerdotium promoveri posse, antequam per quatuor annos Theologiæ dogmaticæ et moralis, Scripturæ Sacræ, Historiæ ecclesiasticæ, juris canonici et sacræ liturgiæ studio incumbens, didicerit utiliter et secure loqui, præesse et docere. Nec ulla dispensatio nisi in casibus particularibus et ob grave motivum ab Ordinario concedetur.

Insuper omnes Seminariorum moderatores et professores hortamur ut, quantum possibile fuerit, in tradendis philosophicis et theologicis disciplinis Sancti Thomæ vestigiis penitus insistant, atque ipsum Summæ theologicæ textum,

uti fieri possit, auditorum quotidie proponant studio. Maximæ enim utilitatis est "ad catholicæ fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum ut aurea S. Thomæ sapientia restituatur et quam latissime propagetur" (Ency. *Æterni Patris*). "Ejus enim doctrina, quum instructa sit et apparata principiis late patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accomodata."

Quia autem fundamentalia dogmatis et ethices principia ad praxim reducere secundum plerasque vitæ circumstantias, difficile omnino est, in quibus maximi refert ut servetur directionis unitas, professoribus, pastoribus et confessariis enixe commendamus etiam ut Beati Alphonsi, Ecclesiæ zelantissimi Doctoris, opera theologica et spiritualia, in quibus *nihil censura dignum* repertum fuit, et continentur "quæ ad plenam sacri ordinis institutionem...... et ad pietatis sensum in christianorum animis excitandum" (Greg. XVI *in bulla canonizationis*) conferre possunt assidue et penitus introspiciant. "Ipse enim, ait Pius IX (*in brevi doctoratus* 7 *julii* 1871), in Dei gloriam, spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive, inter impletas theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent; sive ad clerum informandum, instituendum........."

Ambo sint nobis exemplaria, duces et patroni, ut eorum salutaribus monitis edocti et exemplis roborati ad æternam felicitatem pervenire valeamus cum ovibus nobis commissis.

III. De devotione erga S. Thomam Aquinatem.

Decretum VIII Concilii Quebecen. Sexti : *De studiis Philosophicis*, renovantes et confirmantes, cum intimo animi gaudio gratoque sensu acceptamus, amplectimur, ac diligenter servari mandamus quidquid per recentiores SSmi Domini NostriLeonis PP. XIII Encyclicas Epistolasque declaratum fuit et statutum, de necessitate principia Philosophica tradendi juxta S. Thomæ doctrinam, *in qua eximia quædam inest præstantia, et ad sananda mala quibus nostra premitur ætas, vis virtusque singularis* (Litt. Apost. *Cum hoc sit*, 4 aug. 1880). Ideo decernimus apud catholicas hujusce Provinciæ scholas in perpetuum quotannis cœlestem Patronum ipsis assignatum singulari cultu prosequendum fore : quod ut plenius fiat, Sanctitas Sua humiliter rogabitur, ut, ex Apostolica benignitate Solemnitatem S. Thomæ Aquinatis liceat apud supradictas scholas die per Ordinarium adsignando celebrare sub ritu duplici primæ classis ; eademque solemnitas indulgentiis ditetur. (*a*)

DECRETUM X

De testamento ab Ecclesiasticis viris condendo

Ecclesiastici viri, dum sani adhuc mente et corpore sunt, testamentum conficiant, nec differant ad senilem ætatem, ita ut festinatim et inconsulto, cum gravi erunt infirmitate detenti, illud peragere cogantur ut vitentur lites et discordiæ ; eorum enim maxime interest, ut, nedum spiritualibus, sed et ipsis quoque temporalibus rebus, antequam moriantur, rite opportuneque disponendis, tempestive prospiciant,

(*a*) Vide pag. 87 Indultum circa solemnitatem S. Thomæ Aquinatis in Majoribus et Minoribus Seminariis Provinciæ Quebecensis.

ne quod Christi pauperibus aut Ecclesiæ relinquere debent, transeat ad familiam ditandam. Et ad hoc quidem gravius ipsi tenentur, si ex iis sint, qui pecuniam præ manibus habent, aut alia quæcumque bona sibi a fidelibus vel a fabrica concredita in designatos usus impendenda, specialiter pro missis celebrandis ; illorum siquidem frustrabuntur fidelium voluntates, nisi aliis notæ fiant, implendæque relinquantur. Sed, et extra hunc casum minime sane laudarentur Ecclesiastici viri, qui, cum tanta sit facilitas testamentum conficiendi, et revocandi per schedas sic dictas *olographas*, intestati decederent. Porro curent, qui testamentum olographum conficiunt, ut nulla ipsum careat ad valorem necessaria indicatione, tum denique probatæ fidei personæ custodiendum committant, ne forte ab hærede legitimo, vel ab aliis, quorum intersit hæreditatem ab intestato deferri, occultari ipsum, aut destrui contingat.

Singulis annis, præsertim tempore annui secessus, unusquisque sacerdos testamentum suum revideat, et, si opus fuerit, emendet.

DECRETUM XI

De jurisdictione ad prædicandum et absolvendum

Revocantes decretum VII Tertii Concilii Quebecensis, sequentia statuimus circa jurisdictionem ad prædicandum et absolvendum in hac provincia, salvo semper absoluto jure Ordinariorum illam ampliandi in casibus particularibus. (*a*)

Nullus presbyter prædicare aut absolutionem sacramentalem concedere præsumat nisi ad hoc ordinariam aut dele-

(*a*) In casu peregrinationis videatur Decretum *De piis peregrinationibus.*

gatam habeat facultatem. Si autem periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere. Hoc tamen in casu, si agatur de censuris in Const. *Apostolicæ Sedis* Pii PP. IX speciali modo Summo Pontifici reservatis, debet confessarius monere infirmum sic absolutum de obligatione standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerit.

Ordinariam jurisdictionem, pro foro interno tantum, habet parochus in sua parochia ; extra vero suam parochiam parochus semper et ubique terrarum potest absolvere suos parochianos. Cum autem frequenter contingat ut ejus ministerium requiratur in parochiis vicinis, nos antiquæ disciplinæ hujusce provinciæ inhærentes, paucis tamen mutatis, sequentia statuimus salvo Decreto XIII Quinti Concilii Quebecensis, *De casibus reservatis et eorum absolutione.*

Idem dicendum de missionariis et parochorum et missionariorum vices gerentibus.

1. Parochus potest prædicare et absolvere in parochiis quæ propriam parochiam immediate tangunt, etiamsi dictæ parochiæ sitæ sint in altera diœcesi hujusce provinciæ. Id autem intelligendum esse volumus, salvo jure cuilibet Ordinario aliter statuendi in propria diœcesi, si hoc in Domino illi videbitur expedire.

2. Vicarius parochi potest prædicare et absolvere in parochiis in quibus potest parochus ipse vi præcedentis articuli.

3. Parochi, missionarii et vicarii hujusce provinciæ jurisdictionem in parochiis extra provinciam sitis non exercebunt, nisi juxta concessionem generalem vel specialem Ordinarii, de qua inquirere tenentur.

4. Sacerdos pollens jurisdictione sive ordinaria sive delegata in aliquo territorio, potest ibidem absolvere pœnitentes ad se venientes, etiam ex alia parœcia aut diœcesi, aut provinciæ, etiam tempore paschali, nisi agatur de peccato reservato in diœcesi pœnitentis qui *principaliter in fraudem reservationis* in aliam diœcesim se contulerit (S. Alph. VI, 589).

5. Quilibet sacerdos, habens actualem jurisdictionem in aliqua parte diœcesis, potest in toto territorio ejusdem diœcesis absolvere clericum quemcumque etiam simpliciter tonsuratum, vel presbyterum ; item famulos et ancillas et alias personas in domo parochiali vel in domo missionarii domicilium etiam ad breve tempus habentes.

6. Pro nullo casu intendimus confessariis facultatem dare complices in peccato turpi absolvendi, juxta tenorem bullæ Benedicti XIV, quæ incipit : "Sacramentum pœnitentiæ." Præterquam enim quod talis absolutio extra mortis articulum, est nulla, absolvens, vel absolvere fingens, incurrit ipso facto excommunicationem majorem Summo Pontifici specialissime reservatam. Sola excipiatur extrema necessitas, nempe, si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit etiam non approbatus, qui absolutionem dare possit, et si nequeat ille alius sacerdos vocari vel accedere sine gravi infamia vel scandalo. Tenetur tamen confessarius complex talia pericula infamiæ aut scandali avertere, si possit.

7. In qualibet diœcesi hujusce provinciæ approbati censentur ii presbyteri actualem jurisdictionem saltem in aliqua parte ejusdem diœcesis habentes.

DECRETUM XII

De regestis parochialibus

Cum maximi momenti pro familiarum et status et ecclesiæ bono sint regesta in quibus authentice inscribuntur baptismi, matrimonia et sepulturæ, parochi et alii ad quos spectat, libros illos summa cura et adamussim leges tum ecclesiasticas tum civiles de hac materia latas observent. Formulas edictas sequantur, nihil de præceptis omittentes. Acta statim in utroque libro perscribant, et a personis quorum interest subscribi coram se curent post lectionem factam.

Liber confirmatorum contineat præter nomen Episcopi confirmantis nomina et ætatem confirmatorum, necnon nomina patris et matris et patrini vel matrinæ, cum notis quæ de eorum identitate nullum dubium relinquant, quando quæstio erit de probando affinitatis impedimento. Hujus inscriptionis exemplar a parocho testatum statim post confirmationem transmittatur Secretario Ordinarii, in archiviis servandum.

Hos autem libros et alios omnes qui ad parochiam spectant, accurate servent parochi, ita ut in tuto sint contra pericula furti, aut incendii, aut corruptionis.

DECRETUM XIII

De conventibus publicis prope Ecclesias non habendis

Propter sanctitatem Ecclesiarum et venerationem quæ iis debetur, prohibemus ne publici conventus politici aut

alii profani locum habeant in earum proxima vicinitate nec illarum e gradibus orationes proferantur. Sed conventus illi satis distent ut religiosum silentium, quod in domo Dei regnare convenit, non turbetur.

DECRETUM XIV

De modis prohibitis pecunias ad pias causas colligendi

1. Jam Concilium Provinciale VI, Decr. XXIV, n. 4, opportunum duxerat prohibere ne susciperentur " ad pios fines quædam media, ex quibus facile oritur peccatorum occasio, v. g., concentus musicales, excursiones, venditio rerum sponte oblatarum (bazars) etc. etc., nisi prius obtenta Episcopi licentia, acceptisque salutaribus ipsius monitis."

2. Ad omnem vero aditum abusibus præcludendum, renovantes et confirmantes præfatum Concilii VI Decretum, insuper statuimus prorsus requiri ut antequam ulla concertus, excursionis, nundinarum (bazars), et convivii aut aliorum hujusmodi in pios fines apparatio fiat, Episcopi licentia scripto obtineatur, eaque ab ipso parocho aut sacerdote ad quem res spectat scripto quoque petatur. "Nulli vero Episcopo liceat veniam habendi prædictos conventus sive nundinas concedere, nisi prævio diligenti examine moraliter certus sit nulla adesse proxima peccati vel scandali pericula : Qua in re graviter oneratur eorum conscientia." (*Conc. Plen. Baltim. III, N*° 291.)

3. Mandamus etiam ne aliquis e præfatis conventibus aut nundinis, sive Dominicis et festis diebus, sive cum liquorum inebriantium usu, vino et cerevisia inclusis, insti-

tuatur, vetitis quidem tempore nocturno excursionibus (pics-nics).

Præterea quæ sequuntur, a Patribus Conc. Baltimorensis III nuper decreta, Nos in Provincia nostra promulgamus, quibusdam immutatis.

4. Ut finis imponatur nimiæ et importunæ multitudini tam laicorum quam clericorum, sive sæcularium sive regularium, qui ex alienis regionibus huc variis de causis mendicaturi adveniunt, hæc decernimus.

Volumus et edicimus ut in posterum nullis qui ad colligendum venisse sciuntur, venia detur a rectoribus vel unica vice celebrandi missam (quod tamen de regularibus in monasteriis proprii ordinis privatim celebrantibus intelligi nolumus) donec ab Ordinario ipso hanc veniam acceperint ; utque nullis hujusmodi quæstoribus colligendi concedatur licentia, nisi eorum Ordinarius, vel Ordinis Præfectus ipsi per litteras prævias eam pro iisdem obtinuerit ab Episcopis in quorum diœcesibus eleemosynas rogare desiderant. Præterea continuo exposcatur ab eorum Episcopo vel Superiori, ut eos revocent ; qui si id facere noluerint vel neglexerint, ad S. Congregationem de Prop. Fide sine mora abusus corrigendus deferatur.

5. Prohibemus ne absque speciali licentia scripta Ordinarii in quavis diœcesi, sive in ephemeridibus, sive in foliis encyclicis (circulaires) publice sive privatim offerantur missæ pro iis omnibus dicendæ, qui ad ædificandas ecclesias, conventus aliasque hujusmodi ædes, aut ad solvenda harum institutionum debita, aut ad quodcumque aliud pium opus eleemosynas contulerint. Hunc abusum vehementer reprobamus, et prohibemus.

DECRETUM XV

De piis peregrinationibus

1. Publicæ et piæ peregrinationes, quibus ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto Catholica Ecclesia, vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda divina beneficia, Deoque gratias agendas, vel ad supernum auxilium implorandum, uti consuevit, cum magno religionis fructu his temporibus florescunt. Nobis itaque lætandum in hac provincia Quebecensi non pauca extare sanctuaria ad quæ fiunt illæ piæ peregrinationes. Etenim præter antiquam et celebratissimum Sanctæ Annæ in loco *de Beaupré* sanctuarium, plures eminent populorum concursu ecclesiæ, in quibus spiritualia et temporalia bona pii fideles a Deo consequuntur.

2. At vero, quum res etiam optimæ in abusum vergere possint et aliquando reapse cedant, stricte in posterum inhibemus, ne publicæ peregrinationes ullæ suscipiantur, quocumque titulo sive causa, nisi licentia scriptis ab Ordinario data, qui, ea qua par est diligentia, tum causam, tum ordinem et modum in peregrinatione habenda approbet.

3 Volumus insuper, ut cujuscumque sacræ peregrinationis ducem semper semet præbeat aliquis parochus aliusve sacerdos idoneus a parocho subrogetur, quo certius facile irrepentes abusus in semine suffocentur, et peregrinantium devotio aptissimis dirigatur et augeatur patris spiritualis consiliis atque auxiliis.

4. Licentiam Ordinarii obtentam parocho aut rectori ecclesiæ visitandæ seu peregrinationis, opportuno tempore,

notam faciet, et cum eo conveniet de die et hora sive accessus sive discessus, necnon de numero probabili peregrinantium et via itineris.

5. Nisi Ordinarius id expresse prohibuerit, dux sacræ peregrinationis, licentia episcopali munitus, sibi comites adjungat alios sacerdotes in Provincia approbatos, sine tamen præjudicio officii parochialis et eis communicet jurisdictionem prædicandi et confessiones audiendi, cum facultate absolvendi a casibus mere episcopalibus, etiam cum censuris reservatis, pro toto tempore et loco ipso peregrinationis. Omnes eædem facultates exerceri poterunt, quando etiam iter habetur per alias diœceses vel locus peregrinationis in diversa diœcesi situs est. Valde optandum est ut omnes aut fere omnes peregrini absolvantur, antequam Sanctuarium ingrediantur.

6. Hujusmodi devotionis fructum ponderantes, mandamus ut peregrinationes istæ maxima religione agantur. Parochi ergo in memoriam fidelium reducant salutares illas Concilii Mediolanensis IV præscriptiones : " Peregri-
" nando omnia fugiant quæ devotionis studium perturbant
" aut impediunt, ut illa amplectantur quibus illud excitari
" solet......Ad sacra loca quæ religiose visitaturi sunt, cum
" pervenerint, nihil aliud sibi propositum habeant quam ut
" aut jubilæum indulgentiamve consequantur, aut vota
" sancta persolvant, sacras reliquias et sacra loca visitent,
" ab omni curiositate, peccandive occasione abstinentes.
" Itaque primo confessi quum sacram Eucharistiam sump-
" serint, tum religiose statas Ecclesias Sanctorum visitent,
" ita ut, ipsorum locorum admonitione, major affectus in
" ipsis resurgat ad excitandam pietatem, et Sanctorum,

"quorum auxilium implorant, orationibus adjuventur" (*De religiosis peregrinant.*).

7. Cæterum maxima sollicitudo præcavere studeant ne dissipationes, cantiones ineptæ, comessationes, aliæve res minus convenientes agantur, quibus nedum fidelium pietas augeatur, impietati adversariorum nova calumniandi causa præbetur. Quinimo peregrinantes, cum religioso apparatu, in orationibus, psalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ B. M. V. recitatione, rerum spiritualium meditationibus et sermonibus, ad sanctuaria deducant, proprio pietatis exemplo edoceant, et eodem modo, expletis piæ devotionis exercitiis, ad propria reducere satagant.

8. Præsules Ecclesiarum ad quas fideles devotionis causa frequentius confluunt, impense rogamus, ut peregrinantium saluti prospicientes, omnia et singula prudentissime disponant, quæ ad augendum honorem locis sanctis debitum, et ad fidelium ædificationem conferre in Domino judicaverint. Quidquid superstitionem redolet, caute abrogent; quidquid turpis quæstus suspicionem movere possit, sedulo eliminent; ne probatorum desit copia confessariorum, sollicito fervore provideant.

9. Fideles ad hæc gratiarum loca profecturos paterne monemus, ut hac ipsa occasione dignos facere fructus pœnitentiæ contendant, et devota sacramentorum susceptione confortati jugiter ad Deum peregrinari mereantur.

10. Tandem et reduces, quæ audierint et viderint cum omni modestia et discretione referant, et quem suavius aspirarunt bonum odorem Christi suis fratribus communicent, ita ut crescat et augeatur in mente piorum hujusmodi peregrinationum fama et utilitas.

DECRETUM XVI

De scholis puerorum

Summus Pontifex Leo, Divina Providentia Papa XIII, in Sua memorabili Encyclica *Nobilissima Gallorum Gens* maximi Episcopis demandati officii memoriam renovat : " Providete, inquit, ut nusquam scholæ desint in quibus " notitia bonorum cœlestium officiorumque erga Deum " diligentissime alumni imbuantur et discant penitus " Ecclesiam cognoscere eidemque dicto esse audientes " usque adeo ut intelligant et sentiant omnes labores, ejus " causa, patibiles putandos. "

Quid vero in hisce scholis magistri præcipue pueris docere debeant hæc Pii IX, f. m. verba clarissime indicant : " Omnes cujusque e populo classis pueri vel a teneris " annis sanctissimæ nostræ religionis mysteriis et præscrip- " tionibus sedulo sunt erudiendi et ad pietatem morumque " honestatem, et ad religionem civilemque vivendi ratio- " nem accurate formandi atque in iisdem scholis religiosa " præsertim doctrina ita primarium in institutione et edu- " catione locum habere et dominari debet ut aliorum cogni- " tiones quibus juventus ibi imbuitur, adventitiæ appareant. " Quapropter juventus maximis exponitur periculis, nisi " ejus in memoratis scholis institutio arctissimo cum reli- " giosa doctrina vinculo consocietur. Quum igitur popu- " lares scholæ ad populum religiose formandum ejusque " pietatem et morum christianam disciplinam fovendam " sint præsertim statutæ, idcirco omnem Ecclesiæ curam, " sollicitudinem et vigilantiam præ cæteris educationis

" institutis sibi merito et optimo jure semper vidicarunt. " (Ency. *Quum non sine*, 14 julii 1864.)

Nemo ex hinc non intelliget hanc puerorum instructionem inter Episcoporum officia esse ponendam et scholas de quibus agitur, tam in urbibus quam in exiguis pagis, inter opera contineri quæ ad rem diœcesanam maxime pertinent.

Non minori claritate fulget parentum officium spiritualem educationem suis procurandi filiis qui in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendere debent. " Omnino " parentes bonos, ait SS. PP. Leo XIII, curare oportet ut " sui cujusque liberi quum primum sapere didicerunt, præ-" cepta religionis percipiant et ne quid occurrat in scholis " quod fidei morumve integritatem offendat. Et ut ista in " instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est na-" turalique lege constitutum, neque parentes per ullam " causam solvi ea lege possunt. " (*Nobilissima Gallorum Gens.*)

Ex his maximi momenti principiis, sequentes deducuntur regulæ quas in posterum omnes præ oculis habebunt.

1. Elementariæ scholæ quum sint primæ generatimque urgentioris necessitatis non solum ruri sed etiam in urbibus, quarum plurimi cives quotidiano manuum labore victitant, maximam sibi curam vindicant.

2. Parochi, memores sanctæ suæ vocationis qua eos elegit Deus ad Evangelio collaborandum, semper præ oculis habeant curam teneriori ætati et adolescentiæ christianis moribus informandæ impendendam inter præcipuas pastoralis sollicitudinis partes recenseri. Scholas in sua parochia disseminatas sæpe visitent, magistrorum puerorumque animos verbis confirment in quibus prudentia

simul et charitas eniteant, omnes foveant exhortationibus quæ e paterno corde manantes prosperos gignant exitus.

3. Catholici memoria retineant, ut in praxim stricte adducendum, vigesimum Quinti Quebecensis Concilii decretum in quo sequentia leguntur : " Prohibemus enim ne " quis liberos suos ad tales scholas (acatholicas scilicet) " mittat. Admonemus pastores et confessarios quod pa- " rentes isti absolvi non possunt qui semel moniti eamdem " tenent agendi rationem. Si tamen propter aliquam loco- " rum aut temporum circumstantiam, hoc videatur necessa- " rium et constet nullum esse perversionis periculum, " omnino requiritur Episcopi licentia. "

Insuper a) Ad scholas acatholicas erigendas pecunia adjumento esse non possunt catholici nisi lege vel rerum adjunctis omnino ad id compellantur.

b) Quando catholici parentes aliqua in parochia ita numero præstant ut propriis opibus scholam catholicam erigere et sustentare possint, ad id ex officio pietatis omnino tenentur, etiamsi aliquid amplius solvere teneantur quam pro scholis acatholicis.

c) Etiamsi proprietarius catholicus nullam prolem erudiendam scholis committendam habeat una cum aliis catholicis ad scholam catholicam extruendam et sustentandam pro viribus operam suam conferre religionis officio obligatur.

4. Commissarii, quemadmodum et parentes, quam maxime conari debent ut in scholis ipsorum curæ commissis diligenter et accurate tradatur catechistica instructio a præceptoribus parentum vices gerentibus. Ecclesiæ ejusque pastoribus et ministris spontaneam ex animo coopera-

tionem et obedientiam præstare tenentur ut optati fructus, qui a scholis vere catholicis naturaliter producuntur, facile et perfecte haberi possint.

Et quoniam scholarum progressus maxima ex parte ex magistrorum idoneitate dependet, maximam adhibeant curam ut nonnisi boni et idonei præceptores eis præficiantur. Non instituantur nec dimittantur a commissariis magistri vel magistræ nisi de parochi consilio, qui plerumque hac in re optimus erit judex.

Concordia parochos inter et commissarios existente seligentur institutores qui verbo et exemplo adolescentes erudient in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei et in omnibus ad salutem necessariis. Hi discipuli, sanis imbuti principiis, certius fideles Ecclesiæ catholicæ filii, non minus ac boni cives, per totam suam vitam evadent.

DECRETUM XVII

De Societatibus ad temperantiam promovendam

1. Maxime deploranda intemperantiæ mala nos iterum gementes impellunt, ducibus Concilii V Quebecensis et Plenarii Baltimorensis III Patribus, ad efficacia remedia adhibenda.

" Dubitandum non est, aiunt enim laudati Patres Baltimorenses, quin inter mala quæ in hac regione maxime deflemus, reputandum sit illud quod in potuum inebriantium abusu consistit. Est enim hujusmodi excessus peccati fomes perpetuus, miseriarumque origo fecunda ; homines innumeros familiasque integras ruina pessima obruit, ani-

masque plurimas in exitium æternum præcipites trahit. Et quoniam hoc vitium etiam inter catholicos non parum sævit, scandalum acatholicis datur, magnumque obstaculum religionis dilatationi opponitur. Christianos igitur omnes et religionis et patriæ amor urget, ut omni studio dent operam huic pestifero malo extirpando. (260)

" Ab Ecclesiæ sacerdotibus, quibus Deus officium dedit homines verbo vitæ erudiendi bonisque moribus informandi, auxilium in primis speramus. Nunquam cessent contra ebrietatem ejusque occasiones fortiter conclamare ; præsertim vero quum exercitia spiritualia pro populo habent. Memores etiam doctrinæ apostolicæ plebem commissam ex animo doceant scriptum esse : *neque ebriosi...... regnum Dei possidebunt* (I Cor. VI. 10) ; revocent in mentem aliorum qui existimant se stare, verba Eccli. III, 27 : *qui amat periculum peribit in illo.* Præterea quum verba moveant tantum, exempla vero trahant, sacerdotes ipsimet, qui, monente Apostolo, debent esse *forma gregis ex animo,* sint temperantiæ virtutis exempla. (261)

" Vestigiis inhærentes Patrum superiorum Conciliorum Baltimorensium, et doctrinæ innixi Doctoris Angelici (II. II. q. 149, a. 3) approbamus et magnopere commendamus laudabilem plurium morem, qui temporibus nostris ab usu potuum inebriantium omnino abstinent, quo vitium intemperantiæ securius coerceant, sive ejusdem occasiones a semetipsis amovendo, sive aliis virtutis temperantiæ exemplum præclarum exhibendo, quorum zelum secundum scientiam esse, jamque magnos fructus tulisse ac majores etiam in futuro ferendi spem præbere ultra fatemur. Societates quæ veniunt nomine " *Unionis Catholicæ ad abstinentiam totalem promovendam* " et " *Sacræ sitis,* " magna

laude dignas agnoscimus ; spiritu vere catholico reguntur, et non tam in propriæ voluntatis firmitate quam in precum et sacramentorum virtutes vires necessarias quærunt. Notum est præterea quod caput totius Ecclesiæ et Christi in terris Vicarius non semel easdem benedictione sua apostolica et indulgentiis Ecclesiæ locupletavit. Proinde nos quoque iisdem signa nostræ benevolentiæ exhibemus, et quo magis floreant eas omnium nostrorum sacerdotum curæ paternæ commendamus, ut eis non modo animos addant, sed etiam semitam catholicam semper demonstrent. " (262)

Hactenus Baltimorensis Synodi Patres: quibus laudibus addere supervacaneum esset.

2. Sed Patribus hujus Septimi Quebecensis Concilii opportunum est visum in mentem Parochorum et fidelium revocare Quinti Concilii Provincialis XIX Decretum quo " omnes animarum rectores in Domino monebantur ut novo zelo ebriositatem impugnarent, præsertim 1° religiosas temperantiæ societates instituendo vel restaurando ; 2° operam dando ut quam paucissimi licentiam obtineant caupones, hique recte ordinati viri ; 3° absolutionem renuendo istis consiliariis (membres des conseils municipaux) qui, postpositis conscientiæ legibus, licentiam tabernariam scienter concedent indignis, necnon talibus cauponibus legem tam civilem quam moralem violantibus, omnibusque sine licentia cauponam exercentibus."

Idem dicendum de iis qui, nomen dando vel aliter, iis favent licentiam postulantibus quos sciunt non esse dignos. Scilicet digni censeri possent qui hujusmodi suffragia postulant viri quos commendat vita sua christiana, con-

scientia satis timorata, atque voluntas ita propositi tenax ut spem electoribus præbeant officii cauponis fideliter implendi. Cauponem quidem oportet esse sobrium, ne facilius in sua domo vitiis habenas laxet. Erit insuper probatæ vitæ, ex qua prudenter judicare possint electores illum non esse in caupona sua ludos prohibitos aut quidquid est vetitum lege morali permissurum ; illumque diebus Dominicis et aliis diebus feriatis, cauponam suam clausam esse servaturum non tantummodo propter mulctæ timorem, sed propter conscientiam et reverentiam diebus Domini debitam.

Has quidem societates, a S. Pontifice approbatas et indulgentiis locupletatas, in singulis parœciis instituendas vel restaurandas esse denuo decernimus, salvis tamen quæ Sanctissimus Dominus Noster Pius IX, de consilio quidem P. P. S. Congregationis de Propaganda Fide, in decreto *Indulgentiæ concessæ societatibus a Temperantia*, mandare dignatus est.

Nimirum, Sanctissimus " prædictis societatibus, dummodo nullum in eis fiat votum aut juramentum, et promissio abstinendi a vino aliisque potionibus inebriantibus ita emittatur ut ejus violatio non sit peccatum, easdem indulgentias perpetuis futuris temporibus valituras ac fidelibus quoque defunctis applicabiles benigne concessit."

3. Unde plane compertum est atque in confesso apud omnes esse debet moderatum vini aut cujusvis potionis usum *per se* prorsus culpa vacare. Quamobrem, mandatis S. Pontificis adhærentes, promissionem hac de re faciendam, instar *propositi* haberi volumus, quod iis qui illud concipiunt mutuorum quidem exemplorum et orationum afferat,

nullum vero novum officii vinculum imponat, ita ut, si quis in eo servando forte deficiat, non aliter peccet, nisi quod modum excedat, aut se periculo, propriam ipsius infirmitatem consequenti, objiciat.

4. Oratione, vigilantia, sacramentorum usu, occasionum fuga opus est, ut bona a nobis suscepta consilia ad effectum adducantur. Porro cauponas esse occasiones nimis frequenter contra temperantiam peccandi, neminem latere potest. Ideo præscripta Patrum V Concilii Provincialis renovantes, enixe sacerdotes omnes, piosque laicos hortamur ad laborandum ut quam paucissimi licentiam obtineant caupones, iique recte ordinati sint viri. Cum ejusdem Concilii Patribus, confessariis denuo injungimus ut istis consiliariis (membres des conseils municipaux) qui licentiam *tabernariam* scienter concedunt indignis, absolutionem denegent.

5. Cum laudatis Concilii Bal. III Patribus "fideles qui liquorum inebriantium mercaturam faciunt monemus, ut serio recogitent quot quantisque periculis peccatique occasionibus eorum quæstus, quamvis in se non illicitus, sit circumdatus. Honestiorem rationem sustentandi vitam, si possunt, seligant. Sin minus, totis viribus tam a semetipsis quam ab aliis occasiones peccati studeant amovere. Neque junioribus, eis scilicet qui sui juris non sunt, potum vendant, neque eis quos potu abusuros prævident. Cauponas suas die Dominica (*et diebus feriatis*) clausas servent; nulloque tempore intra tabernarum suarum parietes blasphemias, maledictiones, aut eloquia turpia proferri sinant," nec unquam sibi fas esse autument sine licentia tabernaria cauponam exercere: hæc autem saluberrima præcepta

violantes noverint se indignos esse qui ad sacramenta recipienda admittantur. Denique " si culpabili ipsorum causa aut cooperatione religio in dedecus et homines in ruinam traducuntur, sciant in cœlis vindicem existere pœnas ab ipsis gravissimas certo exacturum. " (Conc. Plen. III Balt.)

DECRETUM XVIII

De blasphemia vitanda

Christus nos edocuit quotidie orare *ut sanctificetur* nomen Patris nostri, *qui est in cœlis. Sanctum enim et terribile nomen Domini* (Ps. CX. 9). *Admirabile in universa terra* (Ps. VII. 2). *Sit benedictum in sæcula* (Ps CXII. 2).

Dolendum maxime quod filii Ecclesiæ, hujus veritatis immemores, *imitantur linguam blasphemantium* (Job. XV. 5) et proprio ore sibi formidabilem condemnationem acquirunt : *Qui enim blasphemaverit nomen Domini morte moriatur* (Levit. XXIX. 16). Propter unicam unius viri blasphemiam, *in nocte illa venit angelus Domini et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum* (IV. Reg. XIX. 35).

Concludendum est, juxta S. Thomam, formalis blasphemiæ vitium omnium peccatorum ex suo genere gravissimum esse : blasphemia enim opponitur confessioni fidei ; et ideo habet in se gravitatem infidelitatis ; et aggravatur peccatum, si superveniat detestatio voluntatis ; id adhuc magis, si prorumpat in verba : sicut et laus fidei augetur per dilectionem et confessionem. Unde cum infidelitas sit maximum peccatum secundum suum genus,........, consequens est

quod etiam blasphemia sit peccatum maximum ad idem genus pertinens, et ipsum aggravans... .... (II. II. Qu. XIII. Art. III.).

Et S. Hieronymus super illa verba Isaiæ (Cap. XVIII. v. 2.) *ad populum horribilem* (vulg. *terribilem*) ait : " *Nihil enim horibilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum. Post quem non est alter populus : omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est.* "

Intelligant igitur omnes quale et quantum scelus sit blasphemia contra Deum et contra Sanctos ejus aut res sacras.

Contra illud identidem, et prout opus fuerit, pastores " *clament et quasi tuba exaltent vocem suam annuntiantes populo scelera eorum* " (Is. LXVIII. 1). Blasphemantes increpent in omni patientia et doctrina, ut deponant iram, indignationem, malitiam, quæ sunt ordinariæ causæ blasphemiarum ; justos autem invitent ut, ad instar pii regis Ezechiæ (IV. Reg. XIX. 1) dolorem suum manifestent, pro impiis ferventes preces effundant, et quantum in ipsis fuerit, piacula majestati divinæ offerre non cessent.

DECRETUM XIX

De sepultura ecclesiastica deneganda, vel non, propter omissionem communionis paschalis

Cum juxta rituale romanum deneganda sit ecclesiastica sepultura iis de quibus publice constat quod semel in anno non susceperunt sacramenta confessionis et communionis in pascha et absque ullo signo contritionis obierunt, hæc autem pœna non incurratur ipso facto, sed requirat declara-

tionem episcopi (S. C. Ep. 14 junii 1595), pro nostra provincia approbamus sapientes regulas de hac materia a Concilio Baltimorensi anno 1791 statutas, paucis immutatis :

" Pastor, si quando contigerit quempiam e vivis decedere sine ulla pœnitentiæ significatione, qui tam salutari præcepto (nempe communionis paschalis) morem non gesserit, nihil temere statuat de sepultura christiana ipsi danda vel deneganda, quoniam verba concilii (Lateranen. IV) important sententiam non latam, sed ferendam : verum Episcopi, vel vicarii generalis judicium, si fieri potest, expectetur.

" Quando autem, propter moralem impossibilitatem consulendi Episcopum, id fieri non potest, consideret secum prudens pastor, 1. an mortuus, per aliquot annos, an autem uno tantum, vel altero, a mensa eucharistica se abstinuerit ; 2. an id fecerit cum magna contumacia, et quasi contemptu Ecclesiæ ; 3. an illius mores aliunde fuerint notorie depravati et mali exempli : his concurrentibus potestatem facimus sacerdotibus qui animarum curam agunt, et ad nos, vel ad vicarium generalem recurrere non possint, omnia prius æstimando in charitate et visceribus misericordiæ erga vivos et defunctum, procedendi juxta tenorem Concilii Lateranensis, si ita ad majorem Dei gloriam et animarum salutem profuturum judicaverint.

" Monemus autem ut nunquam non reminiscantur velle Ecclesiam hac salutari disciplina viventes potius in officio continere, quam punire mortuos, pro quibus preces continuo offert, omnes fideles defunctos divinæ misericordiæ commendando."

S. Pœnitentiaria ad dubia proposita circa sepulturam ecclesiasticam die 20 Martii 1885, sequentem resolutionem edidit.

" Sancimus idcirco quod si publici excommunicati, et
" publici peccatores nondum Ecclesiæ conciliati sed cum
" signis resipiscentiæ decesserint, donentur quidam, hisce
" signis evulgatis, ecclesiastica sepultura, sed absque
" pompis, et solemnitatibus exequiarum. "

DECRETUM XX

De quibusdam occasionibus peccati et periculosis oblectamentis vitandis

Renovantes decretum XXIV Sexti Concilii, sequentia decernimus.

1. Identidem in hanc provinciam veniunt homines qui periculosas et nimis frequenter omnino damnandas scenas, exhibent in theatris.

Nullus qui vitam æternam assequi cupiat potest tales representationes frequentare. Has imprudentes animas describit Spiritus Sanctus : *velut si avis festinet ad laqueum et nescit quod de periculo animæ illius agitur* (Prov. VII, 23) : *Stipendia enim peccati mors* (Rom. VI, 23).

Abstineant igitur fideles omnes a fovendo tales scenicos ludos ; pastores et confessores omnino eos, qui eorum potestati subjacent, deterreant a talibus spectaculis frequentandis, quæ sunt occasio proxima peccati.

2. Idem dicendum de circensibus ludis in quibus equitum vita exponitur, vel Christianæ modestiæ leges vestibus vel positionibus actorum offenduntur.

3. Alia respuenda sunt oblectamenta quæ, licet minus directe noxia, non parum tamen peccandi occasionem et pericula adducunt. Imprimis tollantur domestica theatra, vulgo nuncupata *théâtres de société*, quibus periculosa familiaritas inter utrumque sexum paritur, vitia nutriuntur, infuscaturque præsertim in puellis candidum illud lilium castitatis, potissimum earum ornamentum, quod, teste Paulo, in vasis fictilibus circumferunt.

4. Hinc etiam crescentem quotannis exitialem licentiam cohibeant parentes, qua, hiemali tempore, recreationis causa, juniores puellæ, sexus sui immemores, pudore contempto, vestituque muliebri in virilem fere penitus immutato, sive diuturnas deambulationes indiano more super nivem una cum juvenibus peragunt (*promenades en raquettes*), sive, quod majus est, promiscue cum eis corticea traha jacentes se præcipiti lapsu per nivalia declivia abripi lætantur (*glissades*). Pensent istæ grave Spiritus Sancti monitum : " *Qui amat periculum in illo peribit* ". (Eccli III, 27). Advertant Paulum hortantem : " *Ab omni specie mala abstinete vos*, (1 Thes. V, 22), *ut sitis sine querela et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ* " (Phil. II, 15) ; et discant formidandum Domini vetitum : " *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea ; abominabilis omnis apud Deum est qui facit hæc.*" (Deut. XXII, 5).

5. Quicumque autem domui suæ bene præpositi, in pace et dilectione familiam moderantes, cum uxore et filiis domestica gaudia experiri cupiunt, maxime caveant a *Circulis virorum* (Clubs) in quibus hic pater, illic filiifamilias, domo deserta, lusus ad intempestam noctem producunt, aleæ res suas committunt, liberiores cum sociis

sermones miscent, ephemeridum quarumcumque lectioni vacant, nec pauca nec minima religionem et fidem lædentia auscultant, ruinamque suæ salutis et rei domesticæ cæca illectatione capti luctuose parant.

6. Diebus dominicis et festivis de præcepto abstineant fideles ab illis *excursionibus jucunditatis* quarum pericula peccati tam numerosa et imminentia sunt. Eas frequentare non permittant suis liberis parentes, nec pupillis tutores, nec famulis et præsertim famulabus domini. *Qui amat periculum in illo peribit* (Eccli. III, 27). Filiorum et pupillorum et famulorum *sanguinem de manu tua requiram*, ait Dominus (Ezech. III, 18). *Convertam festivitates vestras in luctum et omnia cantica vestra in planctum* (Amos, VII, 10).

DECRETUM XXI

De medicorum obligationibus quoad animas ægrotantium

I. Medici catholici ad vitam hujus temporis servandam etsi directe et proprio munere instituti, sedulo etiam advertere debent grave sibi incumbere officium charitatis erga æternam ægrotorum salutem, quæ multo quidem præstantior est corporum sanitate.

Diligenter ergo infirmos de periculo mortis per se vel per alios tempestive moneant caveantque ne improbo suadente metu, in id temporis procrastinetur admonitio, quo patientes vel morte præoccupati, vel vi morbi, et mortis instantis doloribus oppressi, sacramenta minus fructuose accipiant.

II. Cum præterea a supremo vitæ exitu pendeat æternitas, omnino medici abstineant a pharmacorum subminis-

tratione quibus moribundi sensibus simul et dolore sopitis, demptaque actus christianos producendi facultate, ultimo status viæ merito destituuntur atque forsan damnationis periculo exponuntur.

III. Declarant autem Patres :

1. Licere quidem medicis aliquem privare sensibus ope narcoticorum (*Chloroforme, morphine, etc.*) si fiat ad breve tempus, citra mortis periculum, et sufficienti causa, nempe ad acerbos dolores temperandos et speciatim ad chirurgicam operationem peragendam.

2. Licere etiam si in casu desperato quædam affulgeat probabilitas servandi vitam.

3. Nunquam vero licere in periculo mortis solo intuitu doloris sensum tollendi.

IV. Medicos autem monemus ut suos patientes amovere conentur ab usu narcoticorum ex quo profluunt effectus tam perniciosi.

DECRETUM XXII

De scriptoribus catholicis

Patres VII Concilii Quebecensis debitas ex animo solvere cupiunt gratulationes scriptoribus catholicis qui suis in scriptis præ oculis habent rectas regulas in Quinto hujus provinciæ Concilio inclusas, nec non et consilia quæ sæpissime a SS. PP. Leone XIII scriptoribus data fuerunt.

Attamen opportunum ducunt ad eorum mentes revocare omnes istas agendi rationes quas usu constat solas esse veras, solasque homines in rectam viam conducere posse ; illosque lubet ante oculos iterum ponere gravissima verba quæ hac in re a Patribus Concilii Quinti prolata fuerunt.

" Ut igitur scriptores de rebus religiosis pertractantes " finem a SS. D. N. Pio Papa IX intentum attingant, opus " est :

" 1. Ut ideo sese ad munus implendum studiis seriis præ- " parent, sintque, juxta Summi Pontificis vota, viri non " solum *catholico spiritu animati*, sed etiam *sana doctrina præ- " stantes ac litteris et disciplinis exculti ;*

" 2. Ut libenti animo monitis sui Episcopi obtemperent, " ejus consilia sequantur, præsertim quando quæstiones " arduas de practicis inter Ecclesiam et societatem civilem " relationibus, ut in nostra regione habentur, pertracta- " bunt ;

" 3. Ut debitam moderationem, prudentiam, charitatem " erga adversarios, præsertim catholicos, ac congruentem " erga homines in potestate sive ecclesiastica, sive civili, " constitutos, necnon erga collegia seu gymnasia, semi- " naria et academias sub directione Episcopali constituta, " sedulo servent ;

" 4. Ut a mutuis conviciis abstineant, et eos qui a sua " sententia alieni sunt, criminari et contumeliis afficere " vereantur ; cum hæc fieri non possint absque magno " fidelium scandalo, sine christianæ charitatis et pacis dis- " pendio, hæreticorum vero contemptu qui, digladiantibus " inter se catholicis, plane triumphant. Ne igitur hujus " modi contentiones per ephemerides et libellos a catholicis " exerceantur, sed potius omnes unitatem spiritus in vin- " culo pacis servare studeant." (D. XXII.).

Qui canones maxime consentanei sunt monitis quæ ite- rum atque iterum Summus Pontifex Leo Papa XIII, tanta

ingenii laude in regenda Ecclesia præclarus, urbi et orbi protulit.

Duo præsertim in mente habuisse videtur summus Pontifex, primum scilicet ut semper ante oculos habeant supremam christianæ charitatis regulam, neque oblivioni mandent se eamdem habentes fidem et eadem spe motos, eamdem etiam viam sequi debere ; quæ quidem via eis ab Episcopis, S. Pontificis et ipsius Christi legatis, aperta est ; semper igitur eorum vocem cum obsequio audire et mandata cum humili mente servare debent.

In memorabili illa ad Archiepiscopum Parisiensem Card. Guibert epistola, loquens Papa de suprema concordiæ lege quam sibi præfixam observare catholicus oporteat, ita prosequitur : " Quod quidem officium, si generatim ad omnes, " multo magis ad ephemeridum spectat auctores : qui nisi " hoc animo affecti sint ad obtemperandum prompto et ad " disciplinam docili, in catholicis singulis tantopere neces- " sario, facile illuc evasuri sunt ut mala, de quibus conque- " rimur, ipsimet spargant atque adaugeant. In omnibus " rebus quæ religionem actionemque Ecclesiæ in societate " attingant, illorum est non secus ac cæterorum Christia- " norum, mente et voluntate Episcopis suis Romanoque " Pontifici prorsus subesse, horum imperata facere et nun- " tiare, incœptis toto pectore adhærescere et ut cæteri pa- " reant curare. "

Eamdem tradit doctrinam Summus Pontifex in litteris ad nobilissimam Gallorum Gentem missis : " Ad optatos " fructus maxime est conspiratio voluntatum et agendo- " rum similitudo necessaria. Profecto nihil magis inimici " cupiunt quam ut dissideant catholici inter se : hi vero

" nihil sibi magis quam dissidia fugiendum putent, me-
" mores divini verbi : *omne regnum in seipsum divisum deso-
" labitur.*

" Quod si concordiæ gratia, necesse est quemquam de " sua sententia judicioque desistere, faciat non invitus, " sperata utilitate communi. Qui scribendo dant operam " magnopere studeant hanc in omnibus rebus animarum " concordiam conservare ; iidem præterea quod in commune " expedit malint, quam quod sibi : communia cœpta tuean- " tur ; disciplinæ eorum, quos *Spiritus Sanctus posuit Epis- " copos regere Ecclesiam Dei*, libenti animo pareant, aucto- " ritatemque vereantur ; nec suscipiant quicquam præter " eorumdem voluntatem, quos, quando pro religione dimi- " catur, sequi necesse est tamquam duces. "

Tum ex Encyclica *Immortale Dei* hæc prudentissime dicta referimus :

" Defensio quidem catholici nominis necessario postulat " ut, in profitendis doctrinis quæ ab Ecclesia traduntur, " una sit omnium sententia, et summa constantia, et hac ex " parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo " conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De " iis quæ sunt opinabilia, licebit cum moderatione studio- " que indagandæ veritatis disputare, procul tamen suspi- " cionibus injuriosis criminationibusque mutuis...... Si quæ- " ratur de rationibus mere politicis, de optimo genere rei- " publicæ, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, " utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quo- " rum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque de- " creta Sedis Apostolicæ obedienter accipere paratus, iis " vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, senten-

" tiam, justitia non patitur : multoque est major injuria, si " in crimen violatæ suspectæve fidei catholicæ, quod non " semel factum dolemus, adducantur. — Omninoque istud " præceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare " litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac qui- " dem de rebus maximis (*contra naturalismum et rationalis- " mum*) contentione, nihil est intestinis concertationibus, " vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus " animis studiisque id debent universi contendere, quod " est commune omnium propositum, religionem remque " publicam conservare. "

Hæc omnia præ oculis semper habeant catholici scriptores et quam maxime caveant ne in posterum in suis scriptis proferant fallacia, detractiones, calumnias, injuriosaque verba ; hæc enim valde scandalosa et perniciosa sunt tam moribus publicis et privatis quam toti societati sive civili sive ecclesiasticæ. Scriptores sicut et alii omnes qui res publicas verbis aut scriptis tractant, naturalis divinæ et humanæ legis præcepta servare tenentur, vel etiam ea, ob propriam qua fruuntur auctoritatem, strictius colere debent.

DECRETUM XXIII

De libris ephemeridibusque improbis

Etsi nullo tempore prætermisimus fideles monere de periculis quæ animabus, præsertim juniorum, obveniunt ex pravis lectionibus, vehementer tamen dolemus nefariam istiusmodi pestem non imminui, imo potius augeri, crescente in dies tum numero legentium, tum cupidine omnia legendi. Non leve profecto fit detrimentum ex libris qui

fidem aut bonos mores offendunt. Nec minus reputandum est malum quod sæpius, ad lectores alliciendos, ephemerides refertæ sint fabulis amatoriis (*feuilletons, romans*) aut aliusmodi quæ pessimæ cujusque libidinis sunt incentivum.

Cui etiam accedit studium inordinatum narrandi atque ponendi ante omnium oculos quidquid novi acciderit, etsi minus honestum, vel plane lubricum, unde gravia scandala, paucis tantum nota, per totam regionem divulgantur. Gravissimi peccati rei censendi sunt bibliopolæ et omnes qui tales libros vendunt, aut dant, aut commodant, aut emunt, aut oblatos accipiunt.

Renovamus igitur doctrinam et ordinationes in Decreto VII Conc. Quarti Quebecensis traditas.

DECRETUM XXIV

De iis qui in electionibus suffragium suum vendunt

Confirmamus Decretum IX Quarti hujusce provinciæ Concilii quo declaratur " eos omnes peccare et quidem non tantum coram hominibus, sed et coram Deo, qui vel suffragium suum vendunt, vel quacumque ex causa dant candidato sibi cognito prout indigno, vel denique alios inducunt ad idem faciendum. "

DECRETUM XXV

De præscriptione

Hujus Concilii Patres, quorum est officium concreditarum sibi animarum saluti modis omnibus consulere, sæpe

sæpius animadverterunt non ea, quam justitiæ virtus postulat, ratione compleri præcriptiones, præsertim quas vocant unius anni, duorum vel quinque annorum, atque, deficiente bona fide, haud dubia proximo damna culpabiliter inferri. Quocirca, ut malo remedium occurrat, opportunum maxime videtur potissima illa in mentem revocare principia, quibus neglectis justitia in præscribendo pessumdatur.

Præscriptio intelligi potest veluti ratio jus obtinendi aliquod per continuatam possessionem certo tempore a lege definita ; quod quidem jus si acquisitio sit alicujus boni, præscriptionis dicitur *acquisitiva*, *liberativa* autem, si quis præscriptionis ope a servitute vel debito liberetur.

Hos tamen effectus præscriptio nullatenus producere potest, nisi debitas conditiones induat. Quæ conditiones ita recensendæ sunt, ut imprimis requiratur *res præscriptibilis*, deinde *possessio*, *tempus certum*, *titulus* et *bona fides*.

Plura hic prætermittimus quæ de singularum conditionum indole ad edisserendum præsto essent, puta quod ex jure communi res usurpatæ, multo magis si sint Ecclesiæ, præscribi nunquam possint, vel quod rei præscribendæ possessio tranquilla prorsus fuerit, et ita porro. At ex quinque jam recitatis conditionibus una est, scilicet bona fides, in quam necessarium esse ducimus ut fideles animum speciali quodam studio advertant.

Nam 1° dominium rei vel juris cujusque sibi præscriptione nemo comparare potest, qui bona fide careat. Hoc sane Lateranense Generale Concilium sub Innocentio III habitum disertissimis verbis sic statuisse refertur : " Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali

judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis;.... unde oportet ut qui præscribit in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam." Quibus Concilii dictis accedit vetus illa juris regula quod "*possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*" Quæ omnia valent pro toto orbe et pro omni genere præscriptionum.

2° Quantum ad præscriptiones unius anni, duorum vel quinque annorum, quas continet codex inferioris Canadensium regionis, perdifficile est bonam haberi fidem, quæ eis faveat.

Hinc 3° alta teneant mente fideles, possessorem malæ fidei, sive de acquisitiva, sive de liberativa præscriptione agatur, nunquam posse rem alienam præscribere.

4° Tanti autem æstimanda est hac in quæstione bonæ fidei necessitas, ut ea sublata, neque lex, neque sententia judicis, utpote quæ natura injustum justum facere nequeat, ex se dominium valeat transferre, vel debitum et servitutem extinguere.

Quapropter 5° si jus civile bonam quandoque non exigat fidem, vel initio tantum possessionis adfuisse requirat, talem juris dispositionem nullius prorsus roboris esse pro foro conscientiæ declaramus.

DECRETUM XXVI

De societate massonica

Renovantes priorum Conciliorum nostrorum exhortationes, condemnationes ac pœnas incurrendas, ac SSmi Domini Nostri Leonis XIII jussa obsequentes, iterum

omnes fideles nobis commissos in Pastorali nostra Conciliari monemus ne sub ullo prætextu his malis vel periculosis societatibus secretis, aut alias damnatis, nomen dent, utque ex his sine mora aperte exeant, sive excommunicationis, sive saltem peccati gravis sub pœna.

DECRETUM XXVII

De Sacratissimi Rosarii devotione

" Præcipuum semper ac solemne fuit in trepidis rebus dubiisque temporibus ad Mariam confugere " (*Supremi Apostolatus*) ; " si quid enim spei nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare " (S. Bern.).

Quare SS. D. N. Leo PP. XIII, quum " modis omnibus Ecclesiæ jura tueri, et quæ vel impendent, vel circumstant pericula antevertere et propulsare conaretur, voluit ut, luctuosis hisce Ecclesiæ temporibus, Marialis *Rosarii* preces singulari studio toto orbe catholico adhiberentur ; et non modo universos christianos enixe hortatus est ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc Rosarii officium peragere studerent, et non intermissa consuetudine usurparent, sed etiam integrum Octobrem mensem cœlesti Reginæ a Rosario sacrum dicatumque esse voluit." (*Supremi Apost.*)

Quanta vero bona jam obtinuit Ecclesia per constantes has unanimesque preces, nemo est qui non videt !

Nos ergo Supremi Pastoris voci cordisque consiliis attendentes omnes animarum pastores enixe hortamur, ut quantum ipsis curæ est et Mariæ honor et societatis humanæ salus, tantum studeant populorum in magnam Virginem alere pietatem, augere fiduciam.

Decernimus ergo et mandamus 1. ut adamussim adimpleantur omnia quæ in Litteris Pontificiis præscribuntur circa solemnia Deiparæ a Rosario, decurrente Octobri mense.

2. Sæpe pastores hortentur fideles ut quotidie in familia recitetur Rosarii tertia pars; ut etiam nomen dent sodalitatibus a Rosario Virginis.

3. Fructuosum modum peragendi hoc pium officium doceant, exponendo et evolvendo nostræ reparationis diversa mysteria quæ pia meditatione recolenda sunt.

4. In ipsa recitatione Rosarii sive publica sive privata, singulæ decadi brevibus verbis præmittatur annuntiatio singulorum mysteriorum; quod possit fieri juxta formam propositam in libro *Recueil d'œuvres pies* : quæ forma Romæ adhibetur.

Simus *perseverantes unanimiter in oratione cum........Maria Matre Jesu* (Act. I).

DECRETUM XXVIII

De publicatione Decretorum hujus Synodi Provincialis

Omnia et singula quæ a nobis in hac Septima Provinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus obedientia ac reverentia, auctoritati ac judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium ecclesiarum matris ac magistræ, revisenda et recognoscenda subjicimus.

Quapropter istius synodi decreta nemo prelo subjiciat aut promulget, antequam a Sancta Sede Apostolica juxta Constitutionem Sixti V, quæ incipit *Immensa*, revisa et

recognita fuerint. Litteris autem quibus illa firmentur a Sanctitate Sua obtentis, ea statim imprimantur, impressaque, a singulis Episcopis hujusce Provinciæ, vel in Synodo diœcesana, vel, si celebrari nequeat, extra Synodum, quamprimum promulgentur.

DECRETUM XXIX

De indictione futuri Concilii Provincialis

Cum sacrosanctæ Tridentinæ Synodi decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur Concilia provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, de consensu et consilio Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ anno millesimo octingentesimo octogesimo nono celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus qui præsentes adesse debent.

DECRETUM XXX

De fine Concilii

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii finem fieri, Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, Provinciali Concilio finem facimus, et jam nunc factum esse decernimus.

DECRETUM XXXI

De subscriptione

Nos, ELZEARUS-ALEXANDER TASCHEREAU, Archiepiscopus Quebecensis, admonemus Reverendissimos Patres omnes, qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos, singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et eis quæ in hac Synodo decreta sunt subscribant.

† Ego ELZEARUS ALEXANDER Archiepiscopus Quebecensis et Metropolita Provinciæ Quebecensis, definiens subscripsi.

† Ego LUDOVICUS FRANCISCUS Epus Trifluvianus, definiens subscripsi.

† Ego JOANNES Episcopus Sti Germani *de Rimouski*, definiens subscripsi.

† Ego EDUARDUS Car. Epus Marianopolitanus, definiens subscripsi.

† Ego ANTONIUS Episcopus Sherbrookensis, definiens subscripsi.

† Ego J. THOMAS Episcopus Ottawiensis, definiens subscripsi.

† Ego L. Z. Epus S. Hyacinthi, definiens subscripsi.

† Ego DOM. Epus Chicoutimiensis, definiens subscripsi.

† Ego N. Z. Epus Cytherensis Vicus Aplicus Pontiacensis, definiens subscripsi.

† Ego ELPHEGIUS Epus Nicoletanus, definiens subscripsi.

Ego FRANCISCUS-XAVERIUS BOSSÉ, Camer. Secret., Præfectus Apostolicus Sinus Sti Laurentii, subscripsi.

APPENDIX

EPISTOLA PATRUM CONCILII QUEBECENSIS VII AD SUMMUM PONTIFICEM

BEATISSIME PATER,

Feliciter hodie absoluto Septimo hujusce Quebecensis provinciæ Concilio, ejusdem Acta et Decreta ad pedes Sanctitatis Vestræ revisenda et recognoscenda juxta sacros Canones deponimus.

In Sua prima Encyclica (*Inscrutabili*) Paternitas Vestra omnes mundi pastores sic allocuta est : " Vestri autem mu-" neris est, Venerabiles Fratres, sedulam impendere curam " ut cœlestium doctrinarum semen late per Dominicum " agrum diffundatur et catholicæ fidei documenta fidelium " animis mature inserantur, altas in eis radices agant et ab " errorum contagione incorrupta serventur. "

Hujus pastoralis zeli nobile et efficacissimum exemplum nobis præbuit Sanctitas Vestra ex quo ad Apostolicæ dignitatis fastigium Divina Providentia evecta est. Vox ejus quasi tuba exaltatur contra errorum monstra quæ faciem terræ in nostris miserrimis temporibus invaserunt. Deum enim ex hoc mundo exturbare volunt impii, contra Ecclesiam Christi prævalere, omnem veram auctoritatis notionem obscurare, et ita funditus familiam, societatem et ipsam conscientiam evertere. Matrimonii unitatem perpetuam-

que firmitatem, rerum altissimarum imagine significatam et consecratam, impudenter denegant. Jura Ecclesiæ fundamentalia violaverunt; civilem ejus principatum, independentiæ tutamen, injuste occuparunt ; bona quæ sæculorum pietas et charitas piis operibus et fidei propagationi destinaverant, depredati sunt.

Ipsis summa sapientia et felicitas in hoc consistere videntur ut figura hujus mundi, inferni, *ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat*, viva fiat imago.

Tot et tantis malis aptissima remedia opposuit Sanctitas Vestra.

Rivos purissimos ex Angelici Doctoris jugi et prædiviti vena dimanantes studiosæ juventuti præstitit. Ejus enim doctrina, cum instructa sit, atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat sed apta et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accomodata.

Litterarum studium ad decus Ecclesiæ et Cleri promovetur : historia Ecclesiastica authenticis et pretiosissimis documentis locupletatur, ut stirpitus eradicentur ab inimicis prolatæ calumniæ contra Sedem Sanctam.

Hujusce seculi avaritiæ, luxui et voluptati opponitur exemplum Christi qui *propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus* ; et ne tanti exemplaris divina perfectio nos frangeret, coram oculis nostris proposita fuit pauperrima Sancti Francisci Assisiensis vita imitanda in omnibus vitæ conditionibus.

Testes sumus quanta cum devotione in hac provincia Christifideles, ad invitationem Sanctitatis Vestræ, decades

et litanias recitaverint Reginæ Sanctissimi Rosarii, quæ pacis nostræ apud Deum sequestra est et cœlestium administra gratiarum. Faxit Deus ut, juxta Sanctitatis Vestræ votum, harum totius orbis catholici supplicationum ope, boni virtutis laude crescant, devii sese ad salutem colligant ac resipiscant, vindex vero scelerum Deus ad clementiam et misericordiam conversus, rem christianam remque publicam, amotis periculis, optatæ tranquillitati restituat !

Quos Christus proprio sanguine redemit et *vocavit in libertatem gloriæ filiorum Dei*, hos sectæ massonicæ in pessimam servitutem redigere conantur impudenti et iniquo silentii et obedientiæ juramento, quod non minus christianæ rei quam civitati perniciosum est. In Encyclica *Humanum genus*, magnus ille massonismi draco, qui permultos exterret et seducit, in terram projectus est, lethali confixus vulnere, ut demonstrant rugitus quos ubique extollit.

Sublimis et vere immortalis illa Encyclica *De civitatum constitutione christiana* plane demonstrat sub lege nova, quemadmodum sub veteri, in pectore Summi Pontificis semper pendere rationale cum inscriptione divinitus olim præscripta : *Doctrina et veritas*. Quæ enim tam docte, ordinate et dilucide de divina potestatum origine, distinctione et ordinatione, cum suis consectariis, ibidem exponuntur, nunc nostri obcæcati ævi oculis luce meridiana clariora splendescunt. Hoc confessi sunt ipsi Ecclesiæ hostes infensissimi. Nec mirandum si acatholici principis præpotens minister controversiam cum rege catholico a Romano Pontifice dirimendam proposuerit et arbitrium ejus tanta cum gratitudine acceperit. Deo etiam gratias

agimus quod idem præpotens minister quasdam leges juribus et libertati Ecclesiæ valde iniquas tandem ita emendaverit ut affulgeat spes ulterioris et perfectæ restitutionis. Tanta vis Apostolicæ sapientiæ, quæ, adjuvante Deo, attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter !

Iterum atque iterum Paternitas Vestra omnes Ecclesiæ filios vehementer adhortata est ut *servent unitatem spiritus in vinculo pacis* et semper ob oculos habeant supremam mox morituri Christi supplicationem *ut omnes unum sint sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Intestina enim ac domestica nonnullorum dissidia, charitatis vinculum cum pernicie animarum solvunt aut certe relaxant. Ad prohibendum tam grave incommodum vigilare non cessabimus et auctoritate nostra uti pergemus, monendo, hortando, increpando, ut devii redeant ad officium et in omnibus sit *cor unum et anima una.*

Cum vero, testante Spiritu Sancto, *justitia elevat gentes, miseros autem facit populos peccatum,* Sanctitas Vestra, cujus zelus numquam exhauritur, nuperrime omnes Christifideles vocavit tertio ad preces unanimes fundendas pro bono Ecclesiæ et Civitatis, ad jejunia et charitatis officia explenda, ad iniquitates pœnitentia abstergendas et animas sacra synaxi corroborandas. Nostri muneris est ut tantorum beneficiorum, quæ jubilæus semper præstat, oves nobis commissæ saluberrimos fructus percipiant, ad majorem gloriam Dei, animarum salutem et etiam temporalem totius civitatis prosperitatem.

Nos multum juvat testari quod hucusque plerique diœcesani Nostri, studiose præparati et piis specialibus conci-

onibus eruditi, jam jubilæi fructus perceperunt; alii autem statim ac possibile erit, idem acturi sunt.

Quæ omnia officia ut digne et fructuose implere valeamus, dignetur Sanctitas Vestra nobis, Clero tum seculari tum regulari, et ovibus nostræ sollicitudini commissis, Apostolicam Benedictionem impertire.

Quebeci, die 6 Junii 1886.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et Addictissimi Filii,

† E. A. Archpus Quebecen.

† L. F. Epus Trifluvianus.

† JOANNES Episcopus Sti Germani *de Rimouski.*

† EDUARDUS CAR. Epus Marianopolitanus.

† ANTONIUS Epus Sherbrookensis.

† J. THOMAS Epus Ottawiensis.

† L. Z. Epus S. Hyacinthi.

† DOM. Epus Chicoutimiensis.

† N. ZEPHIRINUS Epus Cytherensis, Vicus Aplicus Pontiacensis.

† ELPHEGIUS Episcopus Nicoletanus.

F. X. BOSSÉ, Præf. Apostol. Sinus Sti Laurentii.

II

DECRETUM

APPROBATIONIS CONCILII SEPTIMI QUEBECENSIS

Mense Maii superioris anni 1886 in civitate Quebecensi synodus provincialis habita est septima, præsidente Emo ac Rmo Cardinali Taschereau Archiepiscopo illius provinciæ. Cum vero dictæ synodi acta ac decreta proposita fuerint Emis ac Rmis Patribus Sacro Concilio Christiano Nomini Propagando in generalibus comitiis habitis die 12. Decembris 1887, Sacra Congregatio ea censuit recognoscenda, dummodo tamen introducantur modificationes quæ in adjecto exemplari prostant.

Hanc vero Sacræ Congnis sententiam cum R. P. D. Dominicus Jacobini Sacræ Congregationis Fidei Propagandæ a Secretis SSmo Dno Nro Leoni PP. XIII retulisset in audientia habita die 18. ejusdem mensis SSmus eam in omnibus adprobavit, ac præsens in re Decretum expediri jussit.

Datum Romæ ex ædibus S. C. de Propda Fide die 27 aprilis an. MDCCCLXXXVIII.

JOANNES CARD. SIMEONI, Præfectus.

Loco ✠ Sigilli

† D. Archiep. Tyren., Secr.

III

INDULTUM

CIRCA SOLEMNITATEM S. THOMÆ AQUINATIS IN MAJORIBUS ET MINORIBUS SEMINARIIS PROVINCIÆ QUEBECENSIS

Provinciæ Ecclesiasticæ Quebecen.

Sacrorum Antistites Provinciæ Ecclesiasticæ Quebecen. recenti synodo coadunati pro suo devotionis studio erga cælestem catholicarum scholarum Patronum et Ecclesiæ universæ Doctorem Sanctum Thomam de Aquino, et ad ipsius cultum adaugendum, præsertim inter studiosam juventutem sibi commissam, communi supplici voto Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillime exorarunt, ut in majoribus et minoribus Seminariis Sancti Thomæ solemnitas perpetuo in Dominicam proxime sequentem non impeditam transferri valeat : facta nempe potestate Missas omnes in respectivis Seminariorum Ecclesiis vel Oratoriis uti in festo ipsius Sancti Doctoris celebrandi. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuit pro gratia juxta preces ; dummodo non occurrat Dominica privilegiata aut Duplex primæ classis quoad Missam solemnem, et Dominica itidem privilegiata secundæ classis etiam quoad lectas : Missa conventuali Officio diei respondente non omissa ubi et quatenus onus adsit eam celebrandi ;

servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11 Julii 1888.

A. CARD. BIANCHI, S. R. C. Præf.

Loco ✠ Sigilli

Secretaria Congregationis
Sacrorum Rituum

LAURENTIUS SALVATI, S. R. C.
Secretarius.

IV

POSTULATUM

CIRCA BEATIFICATIONEM ET CANONIZATIONEM QUATUOR PATRUM SOCIETATIS JESU, MARTYRUM IN CANADA.

Très Saint Père,

Parmi les sujets qui ont attiré notre attention dans nos délibérations synodales se trouve le désir de donner de nouveaux protecteurs aux nations sauvages, en obtenant de l'Église la glorification de quelques uns des missionnaires qui ont souffert le martyre pour la foi, comme nous le croyons, dans les régions faisant partie de la Confédération Canadienne.

Nous voulons parler de ceux qui ont donné leur vie en évangélisant et en préparant à la mort les infortunés Hurons, en grande partie chrétiens et presque anéantis au milieu du dix-septième siècle par les cruels Iroquois.

Quatre Jésuites ont été ainsi immolés dans l'espace de dix-huit mois et sont vénérés comme de véritables martyrs, tant à cause des circonstances qui ont accompagné leur mort, que pour les miracles qui leur sont attribués et les

apparitions dont on conserve le souvenir. Ce sont les Rév. Pères Antoine Daniel, Jean de Brébeuf, Gabriel Lalemant, et Charles Garnier.

Il y a plusieurs années, l'Archevêque Baillargeon, prédécesseur immédiat de l'archevêque actuel de Québec constitua une commission, présidée par le Rév. Père Martin Joseph de la Compagnie de Jésus, et qu'il chargea de recueillir les faits se rapportant à la vie de ces saints religieux.

Les Pères du troisième Concile Plénier de Baltimore (*a*) ayant pieusement pris l'initiative de prier Votre Sainteté de se prononcer sur le martyre du Père Jogues et du Frère Goupil de la même Société, qui eut lieu quelques années auparavant, il nous a paru appartenir spécialement à l'épiscopat du Canada de demander que Votre Sainteté y associât dans son jugement les quatre martyrs Canadiens massacrés pour la foi à cette époque et l'une des gloires de l'Amérique.

1. Antoine Daniel, né vers 1595, à Dieppe en Normandie, admis dans la Compagnie de Jésus vers 1621, fut massacré et brûlé par les dits Iroquois, dans la mission St Joseph des Hurons, le 4 juillet 1648, à l'âge de 53 ans.

2. Jean de Brébeuf, né d'une famille noble, le 25 mars 1593, au diocèse de Bayeux, en Normandie, entra dans la Compagnie de Jésus le 5 octobre 1617, vint à Québec vers 1628 et fut employé à la mission huronne pendant 17 ans. Son martyre arriva, dans la mission de St Ignace, le 18 mars 1649, lorsqu'il était âgé de 56 ans, et fut accompagné des plus horribles tourments pendant trois heures consécutives.

(*a*) Page LXIV des Actes.

3. Gabriel Lalemant, né à Paris le 31 octobre 1610, entra dans la Compagnie de Jésus le 24 mars 1630, passa en Canada en 1646, et fut martyrisé trois ans après dans la mission huronne avec le Père de Brébeuf. Il était faible et délicat, et cependant ses bourreaux firent durer ses souffrances pendant 15 heures ; il n'avait que 39 ans. Une partie de ses ossements et de ceux de son compagnon est conservée avec vénération au monastère de l'Hôtel-Dieu de Québec.

4. Charles Garnier, né à Paris en 1605, entra dans la Compagnie de Jésus en 1624, fut envoyé à la mission huronne, et fut martyrisé en haine de la foi par les sauvages Iroquois, le 7 décembre 1649, à l'âge de 44 ans, dans la mission de S. Joseph.

Québec, 6 juin 1886.

† E. A. Arch. de Québec,
† L. F. Ev. des Trois-Rivières,
† JEAN Ev. de S. G. de Rimouski,
† EDOUARD CHS Ev. de Montréal,
† ANTOINE Ev. de Sherbrooke,
† J. THOMAS Ev. d'Ottawa,
† L. Z. Ev. de S. Hyacinthe,
† DOM. Ev. de Chicoutimi,
† N. ZÉPHIRIN Ev. de Cythère, Vic. Apost. de Pontiac,
† ELPHÈGE Ev. de Nicolet,
F.-X. BOSSÉ Ptre, Préfet Apostolique du Golfe St Laurent.

INDEX ET ORDO RERUM

VII CONCILII QUEBECENSIS



IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)

6"


2.8
2.5
3.2
2.2
2.0
1.8
1.0

APPENDIX